UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentarivs Ivridicvs, Ad L. Stigmata. C. De Fabricensibvs

Ostermann, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1629

urn:nbn:de:hbz:466:1-61313

Visual Library

populus māducare et bibe-
re:et ſurrexerūt ludere Neqꝫ
fornicemur ſicut quidā ex ipis
fornicati ſūt: ⁊ ceciderūt vna
die vigintitria milia Neqꝫ tē
ptemus criſtum ſicut quidam
eorum temptauerūt: et a ſer
pentibus perierūt Neqꝫ mur
murauerítis ſicut quidā eorum
murmurauerūt: ⁊ perierunt
ab exterminatore Hec autē
omnia in figura cōtingebant
illis Scripta ſūt aūt ad cor-
reptionē noſtrā: i quos fines
[illegible]

Et hic diffamatus eſt ap
illum: quaſi diſſipaſſꝫ bo
ipſius Et vocauit illum: ⁊
illi Quid hoc audio de
Redde rationē villicatio
tue Jā eni ñ poteris villic
Ait aūt villicus intra ſe Q
faciā quia dñs meus au
a me villicationem? Fo
nō valeo: mendicare eru
ſco Scio quid faciam: v
amotus fuero a villicatō
recipiant me in domos ſu
Cōuocatis itaqꝫ ſingulis
[illegible]

33

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 4733.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. II
4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COMMENTARIVS
IVRIDICVS,

# AD L. STIGMATA. C. DE FABRICENSIBVS.

DVODECIM SECTIONIBVS DISTINCTVS,
ET PLVRIMIS IVCVNDIS EX SACRIS ET PROfanis hiſtorijs petitis diſcurſibus illuſtratus,

IN QVO DE VARIIS SPECIEBVS SIGNATVRARVM, CHARACTERVM, ET STIGMATVM TAM SVPERNATVRALIVM QVAM naturalium, imprimis verò Antichriſti, & ꝗe illorum, QVÆ SAGIS INVSTA DEPREHENDVNTVR, hinc deriuata origine, ſignificatione & demonſtratione, cum refutatione argumentorum contrariorum, breuiter tractatur,

PRO VERITATIS ET IVSTITIÆ
ASSERTIONE,

*ÆX SS. PATRIBVS, PRAECIPVIS THEOLOGIS Catholicis, ICtis Practicis, & antiqua Hiſtoriarum fide, compilatus, & per modum conſultationis SS. Sedi Apoſtolicæ, ad determinandum, nec non quorumcunque ſaniori iudicio ad examinandum ſubiectus,*

Authore,

PETRO OSTERMANNO. V. I. DOCTORE, ADVOCATO, ET IN ACADEMIA COLONIENSI COLLEGII Publici Iuridici Dictatore, & ordinariarum Diſputationum publicarum Præſide.

Collegij Soc^ti Jesu Paderborn.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud PETRVM METTERNICH propè Auguſtinianos.
Anno M. DC. XXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# REVERENDISSIMO
## ET SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,
# Dn. FERDINANDO,
## ELECTO ET CONFIRMATO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S. Romani Imperij per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Epiſcopo Paderbornenſi Leodienſi, & Monaſterienſi: Adminiſtratori Hildesheimenſi, Berchtesgadenſi, & Corbeienſi, Principi Stabulenſi: Comiti Palatino Rheni: vtriuſque Bauariæ, VVeſtphaliæ, Angariæ & Bullionis Duci, Marchioni Franchimontenſi, Comiti Loſſenſi. S. Sedis Apoſtolicæ Legato nato, Bonorum & Literatorum Patrono.

*SERENISSIME Princeps Elector; Vetus eſt militantis in hoc mundo, & ad cæleſtem Hieruſalem ex hac lachrymarũ valle aſcendere anhelantis Eccleſiæ à Spiritu ſancto* in Pſalm. 119. verſ. 5. *vaticinata querela.* Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt habitaui cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea. *Eandem hoc conclamato ſeculo, & ſeneſcentis mundi epilogo, Eccleſia Catholica, omniumque eius piorum alumnorum inter acerrimos hoſtes & velut in decumanorum fluctuum vlnus verſantium ſortem eſſe, tota Europa noſtra, proh dolor bellis ciuilibus æſtuans, ſectis diſſectis & ſortilegijs abominabilibus conlutulata, largo lachrymarum imbre irrigata teſtatur & deplorat: Et quidem fluit hoc ab eo, qui à primordio mendax & latro, more eiuſmodi indolis non ſtruere ſolet inſidias*

*ſidias pauperibus & vacuam crumenam habentibus, ſed ijs, qui multa pecunia, puta vera & auita fide, onuſti ſunt: Proſpexerat enim ille, qua ſagacitate eſt, futuros, qui quibus exciderat ſedes occuparent: Vndequando ſuperioribus ſeculis, homines in felici ſtatu conſtituti eſſent, illicò Dæmonum malitia eumpſe inuidere, mortaliumquoque quorundã ſecuritas faſtidire cœpit: Hunc infauſtæ gentis ſtuporem & quorũdam mileferiatorum ingeniorum pruritum ſupremus Moderator vidẽs, Diã Aſtræam ad ſe vocauit: ſequere, inquiens, me, terris nunc relictis, in aſtra aliquandiu caput condes: Maieſtas mea haud feret, vt tam impunè negligatur à ſordida hac argilla. Tu contrà Acheruns emitte tuos ciues: Tu Megæra ſolue ſatellitium, prodeat quicquid confundendæ, quicquid contundendæ hominum acediæ natum vel ſatum: Addite ad pœnas, quicquid à vobis poteſt: Eccleſiam tamen meam ſuprapetra inexpugnabili fundatam, uti Alcyonia in ipſo maris turbulẽto æſtu, illæſam relinquite: Vix ac ne vix quidem prealtum Numen veniam denunciat diſcordi furiarum cohorti, ecce aperitur inuiſi ſpecus Tænari, & atri ianua Ditis prodeũt inde innumeræ Samſonianæ vulpes capitibus quidem diſiunctæ, caudis verò coniunctæ, ad meſſem Dominicam incendendam coniuratæ, cum vrſis vineam, & Lupis ouile aperto Marte deuaſtare molientibus: Hos denique ſequitur ipſa nequitiæ ſpiritalis Acheruns, Hydra Lernæa, omniumque malorum Ilias peſſuma, Luridæ ſcilicet & infeſtæ Striges Diabolo fotore prognatæ, vſque adeò diuinæ imaginis, omniumque animi & corporis theſaurorum prodigæ, vt aduerſus Architectum ſuum, (qui tamen, nos Saturni hoſtias vſtulationi æternũ addictas per vnigenitũ ſuum filium ex media SS. Trinitate ad id ſelectum Soſpitatorem Ieſum Chriſtum ire ex media ſtyge extractum clementiſſimè deſtinauit) & totam Hierarchiam cœleſtem, tanquam nefarij Apoſtatæ conſpirent, imò pactis & tabulis nefandis, nec non obſignatoribus ex orco petitis ſeſe cum Dæmonibus ephialtis & hyphialtis conuenas exhibeant, & quod plus eſt (Da veniam tremende iudex recenſenti) abnegato baptiſmo & fide Chriſtiana, ſemetipſos nefando profeſſionis genere in ius & poteſtatem Cacodæmonis tradunt: Quo quidem non ſatiantur ſed pios antè & poſt, intra & extrà, domi & foris, ad dextram & ſiniſtram mille dolis, mille nocẽdi artibus, perfidia plus quam Thracica, aut Punica aggrediuntur, in eorumque*

exi-

*exitium peruigiles excubant, Rempublicam, tanquam Cæcias nubes, ſecum noua mala trahentes, euertunt, vt non immeritò cœlitus illuminatus peregrinus hoc exulceratiſſimo ſeculo ad patriam ſuſpirare, & erecto ad cœlū vultu ex corde hoc canticum aſcenſionis decantare poßit:* Peregrinatio mea prolongata eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, *id eſt, iuxta explanationem* Cardinalis Bellarmini, *cum barbaris & efferatis gentibus, quæ non habitant in ciuitatibus, ſcilicet Eccleſiæ ſed in tentorijs ijſque nigris & ruſticis, vti Arabes, hoc eſt, tenebricoſis Sathanæ Synagogis. Hæccine autem piorum querela inexaudita, ſcelerumne hoc puteal inultum permanebunt? cū tamen videamus, quomodo Rex, qui homo, ſæuiat in hominem propter crimen imminutæ Maieſtatis. Nequaquam ædepol! Rigidus ille Radamanthus, qui propter nos homines homo factus, & nequißimas carnificum manus propter omnium ſalutem ſanctiſſimo ſuo cruore aſperſit, imò omne id quod vineæ ſuæ facere debuit, fecit, in hoc apparuit filius Dei, vt diſſolueret opera Diaboli.* 1. Ioā. 3. *T. Serenitatem, in hiſce oris, ſui gregis Paſtorem, nulli niſi Paſtorum Paſtori ſecundum, vt hoc ſcabioſum animal à caulis repellat, ſationemque hanc colubriferam flammis vltricibus penitus expiet, conſtituit. Macte ergò Sereniſſime Princeps Elector, & tanquam Procubitor ac Bellephoron ſelectus hanc Chymæram Dauidica fundâ propulſare, & infeſtam hāc Circem veluti alter Vlyſſes Enſe & herba adoriri, perge, meumque hūc tanquam paruuli catelli inter tot peruigiles pro ipſis ſeptis Eccleſiæ cōſiſtentes moloſſos latratū, vtpote ininſidijs latitantis ouilibusque tegumentis perſonati Lupi ex Cordatis ſcriptoribus indigitatam indicinam in tuam Cenſuram & tutelam recipe, Paſtoritij tui pedi vmbra protege, & quo te magni Numinis via ducit perge, ac diu felix impera: Ita voueo, meque meaque Tibi.*

Reuerendiſſime Archi Præſul
Princeps Elector Sereniſſime

Humillimè
Sacro dicoque
PETRVS OSTERMAN D.

# LECTORI CANDIDO, S. AVTHOR,

VT morbis corporum nouis ſuppullulaſcentibus de ijſdem ſcripturiunt medici, perinde ſæuiente hoc noſtro tempore animarũ lue contagioſiſsima de rebus Magicis, Non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia, non inuitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione, diſcernente *Tertull. de anima. Fol. 900.* vindicem calamum ſtrinxerunt plurimi, ſiluiſſem quidem ego meque intra functionis meæ cancellos continuiſſem; ſed vti Croeſi filio ab incunabulis muto patris ſui ex impetu hoſtis imminens periculum loquelam, ita mihi elingui S. Matris Eccleſię iniuria poſt meſſem hoc ſpecilegium, poſt vindemiam racemationes, poſt coenam dubiã analecta, poſt cæſam ſyluam recidiua hæc extorſit: Ea ſi tibi probabuntur, auctiora, quatenus Deus vitam & vires largiatur, proximis nundinis promitto, Tu interim Lector beneuole, hac editione Colonienſi dumtaxat, & non alia ſine tuo damno vtere, & vale.

PAR-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. SEctione agitur de ſignificatione & diuiſione ſtigmatum ac characterum.

II. De charactere, ſeu ſtigmate merè ſpirituali.

III. De ſtigmatibus materialibus Naturalibus, & quidem primo intrinſecis.

IV. De ſtigmatibus materialibus violentis, extrinſecis & quidem I. publicis.

V. De ſtigmatibus materialibus violentis extrinſecis priuatis, tam vituperabilibus, quam non vituperabilibus.

VI. De ſtigmatibus ſupernaturalibus, materialibus extrinſecis diuinis.

VII. De ſtigmatibus ſupernaturalibus materialibus Diabolicis, & & quidem primò Antichriſti.

VIII. De ſtigmatibus ſupernaturalibus, materialibus Diabolicis, quæ inuruntur ſortilegis, & primo. An dentur.

IX. De deſcriptione ſtigmatum Diabolicorum, quibus ſagę notantur, ex confeſſionibus Mariæ de Sains, Petro Lancre, alijſq;, cum refutatione argumentorum Binsfeldij, Del-Rij, aliorumque.

X. Vnde probetur vlterius, quod à Diabolo ſint.

XI. Colligitur ex prædictis Generalis Apodictica Concluſio.

XII. Continet præcipuarum quarundam obiectionum reiectionem & enodationem.

## Sphalmata Typographica, quæ per incuriam remanſerunt, Lector Candidus ſic corrigat.

PAg. 3 Sect. 3. lin. 8. pro a. 20. lege Azo. p. 5. l. 3. pro coroſ. leg. coraſ. eadem p. lin. 24. pro valdiæ. leg. validæ. p. 7. ſect. 4. lin. 2. pro Iul. ple. leg. Iul. Pecul. & ibid. lin. ſeq. pro priui leg. princ. & lin. 5. pro vtrimq;, leg. vtrumq;, & lin. 6. pro Quid lege Quod. & ib. pro Archidiacen. lege Archidiacon. lin 9. pro Gretz. lege Greg. lin. 14. pro puniūtur leg. puniantur. p. 26. ſect. 8. lin. 26. pro femine leg. femore Sect. 7. p. 20. lin. 12. pro inſculptum leg. in ſculptā lin. 34. de Ræmund. adde de p. 21. Sect. 7 lin. 15. pro Epremo. leg. Ephremo p 19 Sect. 7. lin. 9. pro tunc, lege, nunc Sect. 7. pag. 18. lin. 19. pro libdini, lege libidini pag. 17 ead. Sect. lin. 22. pro Di, lege Dei, pag. 45. Sect. 8 lin. fin. pro infernali, lege, infernalis. pag. 51. Sect. 9. lin. 3 pro. cenſebunt. lege cenſebant. & ead. lin. pro (quoniam) lege quorum. ead. pag. lin. 36. pro quitiæ lege nequitiæ. Sect. 9. pag 54. lin fin. pro imprimerent. lege imprimeret pag. 65. lin. 5. Sect. 10. pro paſsi lege paſſa. pag. 67. lin. 25. Sect. 10. pro inceſſabetur. lege, inceſſebatur. pag. 71. Sect. 10. lin. 7. pro corporis, lege, corpori. pag. 76. Sect. 11. lin. 8. pro præſummuntur lege præſumuntur. p 88. Sect 12. lin. 11. pro certis leg certo. Sect. 12 p 97. lin. 20. pro inquireret. lege, inquirent. ead. pag. lin. 27. pro 7. lege, ſeptimo. pag. 98. pro publicus lege publicus ead. pag. lin. 9. pro Enoloſana. lege, Tholoſana pag. 99. lin. 9. pro chrimatis lege chriſmatis. p. 99. lin. 20. pro palpebus lege palpebris. pag. 100. in num. en. pro. 110. 100. ead. p. l. 3. pro æruditur. lege eruditius pag. 101. lin. 18. pro honor, lege, honori ead. pro lucubratiunculs lege lucubratiunculis lin. 27. ead. pag. 5. 8. C. adde de

# SECTIO I.

## DE SIGNIFICATIONE ET DIVISIONE STIGMATVM AC CHARACTERVM QVORVM IN DIVINIS, ET PROFANIS Veterum Hiſtorijs mentio fit.

STIGMA, Græcè στίγμα à στίζω pungo notam ſiue ſignum, quod inurebatur ſignificat. Vnde *Martial. lib. 6. 64.*

*Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.*

*Dignus ſtigmate. iuxta Iuuenal. Satyr. 10 19.*

Similiter Character. Græcè χαρακτὴρ. Latinis latè ſignum, inſigne, ſiue figura & forma dicitur, ex litera prę-cipuè *l. ad teſtium 22. §. Signum 5. ff. Qui teſtam. fac. poſs. Columell. lib. 11. cap. 2.* Nec minus maiora quadrupedia Charactere ſignari debent. Germanis. Ein Brandtzeichen. Brandtmahl. *VVehner. pract. Obſer. vocab.* Brandtzeichen. Deriuatores dicunt, quod ſit ſignum, Character, Cicatrix, coctura, inuſtio, quæ fit calido ferro. Ibid. Ne tamen incerto pede in hac materia occulta, & intricata vagemur. Primo. quantum ad noſtrum propoſitum attinet, diuiduntur ſtigmata, quod alia ſint merè Spiritualia. Alia Materialia: Hęc inſuper partim Naturalia, partim Supernaturalia ſunt. Naturalia materialia ſubdiuiduntur, vt alia faciat ſola natura, alia violentia extrinſeca. Eaq; ſunt vel publica, vel priuata, vtraque vel vituperabilia vel non vituperabilia. Supernaturalia materialia duntaxat extrinſeca, & violenta ſunt, quorum alia à Deo alia à Diabolo imprimuntur. Nunc de ſingulis in ſpecie.

# SECTIO II.

## *De Charactere, ſeu, ſtigmate merè ſpirituali.*

HIc Character quantum colligitur ex Communi doctrinâ Theologorum, præcipuè *S. Thomæ. & S. Bonauenturæ.* Eſt quædam ſpiritualis qualitas, ſiue habitus indelebilis; in mente, ſiue intellectu animæ noſtræ, quæ vel qui eſt potentia actiua, vel paſſiua exercendi opera illius naturæ, in quam quis per gratiam eleuatur. vel eſt quædam paſſibilis qualitas illuminans animam ad videndum facilius quid ſit credendum, & quid faciendum, & quid non, vel eſt quædam qualitas diſponens, & habilitans animā ad ſuſcipiendum gratiam. *Iohan. Damaſc. & ex eo. Innoc. in rubr. num. 3. de Baptiſmo & eius effectu.* Sicut calor eſt potentia, qua ignis poteſt calefacere, & mollities eſt potentia, qua cera poteſt figurari. Nec mireris, ſi per inſtitutionem Eccleſiæ infigitur Character in animâ; cum animæ ſint de iuriſdictione Pontificis, & ſpiritualium Patrum, vnde ſuper eis conſtitutiones ſuas facere poteſt, dummodo non ſint contrariæ conſtitutionibus Dei. *Arg. cap ſuſcepiſti 6. diſt. 10. cap. cum ad verum 6. diſt. 96. cap. ſolicita 6. extra de maior. & obed. Innoc. cap. 3. de Sacram. iter. vel non. & cap. 1. de Sacr. vnct. num. 1.* Datur autem hic Character ad quatuor, Prius ſcilicet ad ſignificandum, II. ad diſponendum, III. ad aſſimilandum, IV. ad diſtinguendum; Quia cum ſit ſignum Sacramentale, ſiue Sacramentum, & res, ſignificat gratiam gratum facientem, nec ſolum ſignificat, ſed diſponit ad eam: quia vſus Sacramentorum nouæ legis non eſt tantum in ſignificando, ſed etiam in diſponendo, ſiue afficiendo, quod figurant. Et quia diſponit ad gratiam, habet aliquam ſimilitudinem ad gratiam, quæ eſt quædam participata ſimilitudo naturæ, & conſequenter configurat omnes, vel aſſimilat Deo: Et conſequenter etiam inter ſe aſſimilat oues Dei, & diſtinguit ab his qui non ſunt de Grege Dominico. Imprimitur autem hic Character merè Spiritualis ſolum in tribus Sacramentis. ſcilicet. in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine: quia vt dicit *S. Thomas.* per hæc tria ſolum mancipatur homo ad aliquod Sacramentũ exercendum actiuè, aut paſſiuè; quia per Baptiſmum poteſt quis Sacramenta ſuſcipere, ad quod ordinat etiam quodammodo Confirmatio: per Ordinem vero poteſt quis Sacramenta conferre. *Summ. Syluest. vocab. Character.* Et quia hæc prædicta tria Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo Characterem, id eſt. Spirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctum impri-

imprimunt in animâ indelebile, ideo in eadem perſonâ non iterantur, Reliqua vero quatuor, vtpote Euchariſtia, Extrema Vnctio, Pœnitentia, & Matrimonium Characterem non imprimunt, proinde etiam iterationem admittunt. *Vid. de his Conc. Florentin. ſub. Eugen. 4. Pontif. Max.*

Cauſa Efficiens huius Characteris eſt Deus ter Optimus Maximus, qui cum hoc miſerum humanum genus in ſuam tutelam ſingularis redemptionis beneficio ſuſcepit, rude & corporale, voluit electa certa materia illi ſuam inuiſibilem gratiam conferre, eam rebus certis, & ſtatis benedictionibus imprimens pro ineffabili ſua Omnipotentia. Ita Sacramentum inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignum, ſed vltra ſignum, quod videtur habet gratiam ſimul inhærentem, cuius, viſibile teſtatur vt ſignum, exiſtentiam. *Can Sacrificium. 32. De Conſecr. diſt. 2.* Proxima cauſa eſt Spiritus S. ipſe, qui efficacia omnia facit Sacramenta, non autem is qui ea præbet miniſter. *Cap. Multa. 38. cap. Ita fit, 81. cum 4. ſeqq. cauſ. 1 quæſt. 1.*

## SECTIO III.

### *De ſtigmatibus Materialibus Naturalibus, & quidem primo intrinſecis.*

STigmata quædam materialia inducit Morbus, vt quando ſeruus pallidus eſt. Et facies eius extenuata *Maſcard. Concluſ. 1071. n. 5. Surd. deciſ. 146. num. 19.* aut ſanguineas guttas Vel verrucas habet, *de quibus Coraſ. in Arreſt. Tholoſ. Annot. 60.* adde de verruca quæ habet *Annot. 40.* (nimirum, quod Q. Fabius Maximus à multitudine verrucarum, quibus ad ipſas mãmas abundabat, Verrucoſus eſt Cognominatus) Hinc intelligitur vitium mancipij eiuſq; morbus plerumq; ſignis *l. 1. § ſi intelligitur 6 ff. de AEdilit. Edict. l. 14. § fin. ff. eod.* quæ rẽ & rei qualitates manifeſtant. *a. 20. in ſumm. C. de AEdilit. Edict. n. 24.* Quia nemo eſt tã ſupinus, qui viſo chiapone ſeu ſimili cicatrice, non inducatur ad dubitandum de morbo, & conſequenter ad inueſtigandum de qualitate illa vnde prouenerit, an effectum aliquem produxerit, & an morbi ſuperſint aliquæ reliquiæ. *Cabalin. in tract. de AEdilit. Act. 1. cap. 22. n. 22. Iohan. Petr. Surd. deciſ.* 146. De hac re erudite diſputat. *Leuin. lemn. lib. 4. cap. 6. de occult. nat. mir.* Vbi ait Medicos in morbis ſtudioſè oculorum conſtitutiones contemplari. Sin enim rubore perfuſi ſunt, aut ſanguineis filamentis ſtriati, ex cerebri inflammatione furorem ac phreneſin



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

indicant. Quod ſi liueſcant, aut plumbeo nigroque colore perfuſi ſunt, caloris natiui extinctionem, vitæque interitum denuntiant: Inſtabiles autem, pernictantes, mobiles, inquieti, inconſtantes, mentis alienationem & delirium deſignant. Languidi, humentes, fluidi, lachrymis perfuſi, tenebroſi, tremuli, rigidi, vibrantes, tumidi, caui, conditi, obtuſi, conniuentes, præter diuerſos animi affectus, in ſanis, tum in ægrotis, non ſine vitæ pernicie, cerebri intemperiem, ex humorum copia vel defectu, caliditate, aut frigiditate præmonſtrant. Quod vitium quoniam circa cerebrum mentis domicilium, vel potius regiam conſiſtit, vt foris nonnihil oculos deformat, ita animum quoque quibuſdam vitioſis affectibus imbuit *Philipp. Camer. Cent. oper. ſubciſ. cap. 57.*

Porro ſtigmata quædam imaginatio facit iuxta doctrinam *Empedoclis & Phyſicorum.* Qui id putant accidere poſſe ex imaginatione quadam, quæ animo mulieris in ipſo concipiendi articulo occurrit. Cui tantum eſt virium in eum fœtum, qui effigiatur, vt ipſius rei Character quaſi inuſtus perpetuo hæreat. *Accurſ. in l. Quæret. 135. verb. fataliter ff. V. S. & in l. non ſunt 14. ff. de ſtat. hom.* Vnde fit vt in poſteris nonnunquam conſpiciantur, modo nerui, modo cicatrices, modo alia quæpiā à maioribus ſigna.

Quale eſt illud, quod de *Lepidis Romanis* narratur, inter quos ex eadem domo tres extiterunt, qui alterum ex oculis, pellicula tectum gerebant. Item de *Nizea Byzantino*, qui Mauri inſtar niger prodijt, auo, quam Matri ſimilior, quæ candida & formoſa ex adulterio tamen ab Æthiope genita fuit. *Plin. lib 7. cap. 12.* Ex eadem cauſa ſæpius olim accidit, vt pueri picturis euaderent ſimiles, quas matres in delicijs apud ſe habebant. *Plut. de plac. Philoſoph. lib. 5. cap. 12.* Narrat alicubi *D. Hieron. quæſt. in Geneſin.* deformem quandam mulierem, quæ maritum itidem pari forma iniucundum habebat, filium elegantem peperiſſe. Quæ cum ob eam cauſam adulterij nomine eſſet ſuſpecta, ab ipſa tamen culpa abeſſe deprehenſa eſt, conſilio, & ſapientia præſtantiſſimi illius Medici *Hippocratis.* Is enim iuſſit perquiri, num in cubiculo extaret inſignis quædam pictura, puero recens edito ſimilis; atque ea reperta mulierem etiam ipſa flagitij ſuſpicione liberauit.

Nemini itemque obſcurum eſſe credo, Quid Patriarcha Iacobus hac in re excogitarit: qui cum Labane Socero pactus, vt pecudes ex toto grege maculoſæ, & verſicolores ſibi mercede adiudicarentur, Virgas virentes è diuerſis arboribus delibrauit, eaſque cum corticibus in canalibus aquarum poſitas, ouibus & capris obijciebat: Et factum eſt, vt in calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa. *Exod. 30. verſ. 38. & 39.* Non deſunt qui affirment mulierem quandam *Carolo 4. Imperatore*, quia

in concipiendo imaginem. D. Ioannis Baptiſtæ fixo obtutu aſpexiſſet
( qui pellibus indutus pingitur ) filiam hirſutam inſtar vrſi peperiſſe.
Plura exempla recenſent *Iohan. Coroſ. Iuriſc. in Arreſt. Tholoſ. Annot. 4.*
*& 2. Miſcell. cap. 22. plura apud Levin Lemn. lib. 4. cap. 7. de occult. Natur.*
*miracul. Camerar. in oper. ſubciſ. Cent. I. cap. 54.*

Sed iſtud difficilius, cur mulieres nō ſolum inter cōcipiendum, ſed
etiam poſtquam conceperint, maculas earum rerum, quas ardenter ex-
petunt, fœtibus imprimant? Reſpondent alij, hoc ex eadem cauſa, ſcili-
cet ex valida ac vehementi imaginationis apprehēſione cauſari, Sed hæc
reſponſio difficultatem non tollit, explicabit hoc quidem, cur macula ad
fœtum transferatur, ac cur magis ad vnam quam ad alterā partem. Alios
enim rubentis, aut nigricantis vini maculas geſtantis in fronte conſpi-
cias, alios imaginem ſupra genas, alios maculas in fronte, alios in men-
te, alios in collo habere. Tradunt aliqui ſe cancri formam hominis naſo
adhęrentem vidiſſe, alius ceraſum ſupra genitalis glandem, qui eo tem-
pore rubeſceret, quo ceraſa matureſcunt, ipſisque creſcentibus creſce-
ret, marceſcentibus minueretur. Quæ igitur tanta imaginationis vis,
cur vni potius parti, quam alteri maculas haſce imprimit? creſcit admi-
ratio, & ſuperſtitioni perſimile accidit, quod tamen mulieres veriſſi-
mum eſſe teſtantur, ipſæque prægnantes ſe accuratè ſeruare profitentur,
vt dum vterum geſtant, ſi pomum, ceraſum, vinum, aut quid ſimile ar-
denter appetunt, manum ori, & vultui non apponant, ſed aut aſcellę,
aut pedis plantæ: ei enim in fœtu Corporis parti inuri maculam, quam in
ſuo corpore ipſæ tetigerint. Quæ igitur tam valdiæ impreſſionis cauſa
poterit aſſignari, vt hanc magis partem, quam illam valeant maculis ob-
ducere. Reſpondere ſolent alij, ei fœtus parti maculam adhæreſcere,
quæ tunc nutritur: At ratio hæc friuola, & Philoſopho indigna eſt, nutri-
tio enim toti ſimul accidit viuenti, & partes omnes ſimul nutriun-
tur, & adoleſcunt, & accurata ea tactus ſolertia, quam explicaui, oppoſi-
tum arguit. Verum huic quæſtioni licet difficilius ſit veram cauſam aſſi-
gnare, ex eodem tamen principio, ex valida ſcilicet apprehenſione erit aſ-
ſignanda, vt ea macula ei corporis parti in fœtu inhęreat, quam validius
in ſe mater concipit. Eaque ſolertia, vt partem corporis ſui primo, quæ
hominum non patet aſpectibus faciet, vt imaginationis motus, & for-
tis apprehenſio eas, quas tangunt partes apprehendat, vt ijſdem partibus
macula adhæreſcat. *Alphonſ. Paleot. de Ieſu Chriſti ſtigmat. cap. 18. n. 10.*
Similes Naturæ Characteriſmi & naturales ſignaturæ ſunt, quæ ex Crea-
tione non atramento, ſed ipſo Dei digito in omnibus ſunt exaratæ Crea-
turis ( ſiquidem quælibet creatura eſt liber Dei ) melior eſt pars veræ li-
tèraturæ, per quam omnes res occultæ leguntur, & inueſtigantur, poſtha-

bitis quatuor qualitatibus, veluti externis virium corticibus. Inuiſibilia enim & interna ſemper ſunt nobiliora, præſtantiora & valentiora, quam viſibilia externa, quæ minus perfecta, & ſuis internis viliora ſunt: Sic domus res externa ædificatur ob inhabitatorem, ſed incola nobilior eſt omnibus lignis, lapidibus & toto ædificio, cum ſit viua & rationalis Creatura: Sine Phyſiognomia, cuius miniſterio non ſolum totus homo, cuius interiora ſemper aliquo externo indicio deteguntur, ſed ſpecificæ & occultæ rerum omnium virtutes, imo omnia naturæ ſecreta manifeſtantur, vix vllum medicinæ habetur arcanum, quod experientiæ ſuſtineat examen: Creaturæ enim ſunt præceptores medici à Deo creati. Primus noſter Protoplaſtes Adam, in ſtatu innocentiæ ex arte ſignata rerum naturalium abſolutam habuit cognitionem, ac cuilibet rei nomen indidit proprium internam naturam ſimul exprimentem: Deus enim omnium rerum vires ac naturam Hominem ipſum vno tantum ſpiritus diuini afflatu docuit, Hinc fit, quod aliqui rectè virtutem ex radice Centri, non ex ſuperficie cognoſcentes relicta nominum inanium ſubtilitate à Rebus ipſis veritatem, intimâ & profunda ſpeculatione, exquiſitius rimantur, manifeſta in occultis Naturæ veſtigia diuinitus impreſſa intuentur, ac Herbarum abditas dotes ex ſuæ extimę faciei inſpectione venantur, & ſapiunt, quanta ſit inter corticem & nucleum, inter domum & inquilinum differentia, niſi ſtolidè velint ligna & lapides, ſtatuarum nomine inſignire, ſeu relictis colonis, meſſes cum tugurijs inſtituere. In omnibus rebus externis domus eſt ſaltem domicilium internarum habitantium virtutum à Deo inſtar Animæ corpori humano infuſarum. Rectius ille philoſophus ingenia hominũ & ſenſus, non è Nomine, ſed è ſermone (Animi ſeu interioris hominis charactere, & indicio vero) petebat, dum puerum aſtantem ſic compellat: loquere vt te videam ô Adoleſcens, ſi quidem voce interprete mentis arcani motus aperiuntur: Ita Herbæ magicæ per ſignaturam penitus introſpicientem alloquũtur Medicum, ſuaq; interiora in occulto Naturę ſilentio abdita, ipſi per ſimilitudinem manifeſtant: Eſt enim (vt Clariſſimi viri Baptiſtæ Portæ verbis vtar) per ſimilitudinem demonſtrandi modus, quo ſæpiſſimè ſummus Rerũ Opifex diuinas, & occultas res ſolet patefacere, vt ſupremam Idæarum ſimilitudinem referrent: nec præſtantiori, aut cõcinniori poterat modo, nam ſi plantã loqui fingamus, & ſecreta ſuæ Naturæ commoda, quibus præſtat, promere velle quocunque ſermone, quibuſue modis locutura, nõ ab omnibus perciperetur, quum & ſermones, & ſcribendi characteres ſingulis gẽtibus proprij ſint, & peculiares: vnde aut vni Nationi aut infinitis loqui linguis oportuiſſet, ſic arguta Naturæ ſolertiâ ſuis Rerũ ſimilitudinibus, & breuiter & perſpicuè ſatis ſimul omnibus

nibus fit. Omnes herbæ, flores, arbores, aliaq; è terra proueniẽtia, ſunt libri, & ſigna medica , ab immenſa Dei miſericordia communicata, non quod illa ſigna ſint noſtra medicina, ſed quod per illorum cognitionem, ad veram medicinam, id eſt ſignatũ venire poſſimus. Vide latius *Oſuald. Croll. tr. de ſignaturis internis rer. in præf. ad Lector.*

## SECTIO IV.

### *De Stigmatibus materialibus Violentis. Extrinſecis & quidem I. publicis.*

HÆc Stigmata Violẽta erant partim publica, partim priuata. Illa habebãt formam publicam *arg. l. ſacrilegij 6. § qui cum 1. ff. ad l. Iul. ple. l. 1. in priui. ibi [ forma publica. ] ff. de cõtr. Empt.* Hęc vero priuatam, & notæ priuatorum erant, de quibus in *l. 1. § tamdiu ff. de fugit. Rubr. tit. & l. 1. C. vt nem. lice. ſin. Iud. aut ſig. reb. imponere alien.* Vtrimq; tam publicum, quã priuatum definitur. Quid ſit coctura igneorum, vulnerum iuxta *Archidiacen.* vt notat *Gloſſ. in c. ſi iudex ad verb. Ex ſtigmate.* tum ob crimina, tum ob alia iudicanda facta. *Petr. Greiz. Tholoſ. in ſyntag. Iur. vniuerſ. lib. 31. tit. 35. n. 1.*

Publici Stigmatis exemplum primum ab Arcadio Cæſare ſtatutum eſt, qui mandauit vt fabricenſibus infigantur ſtigmata: id eſt. notæ publicæ in brachijs ad inſtar tyronum, vt ſi latitauerint ex tali ſigno poſſint agnoſci: qui vero tales latitantes ſuſceperint, puniuntur nam ipſi & eorũ liberi tali fabricæ adſcribebantur, & qui ad quamlibet militiam tranſiefrant, ad ipſam fabricam cui adſcripti, retrahebantur *l. 1. ſtigmata 3. C. de Fabricenſ. l. 11. tit. 9.* vnde Vegetius *punctis ſignorum ſcribendus tyro*, & alio in loco *Victuris in cute punctis milites ſcripti.* Apud *Gregor. 2 Epiſt.* fit mentio cõſtitutionis cuiuſdam *Mauritij Auguſti* ne quis manu ſignatus ante expletã militiam ad monaſteria migret, quã dicit priorem tuliſſe Iulianũ Parabatam facit. *c. ſi quis 61. diſt. 50. Cuiac. in parat. C. de Fabricenſ. l. 32. C. de decur.* Et hic character quo ſignabatur miles vt ab alijs dignoſceretur. vocabatur alias cingulum militare. *Archid. in c. quod quidem 97. cauſ. 1.* & character Imperatoris *cap. Quemadmodum 4. cauſ. 23. q. 7. Luc. de penna ad d. l. ſtigmata 3. C. de Fabricenſ.* per quod character militaris indiuiſibiliter affigitur militi, ita tamen vt poſſet dici, quod ille character, qui infigitur ex conſtitutione Imperatoris, non infigitur intuitu animæ principaliter, ſed corporis, quod ex eo apparet, quia mortuo milite anima nihil ex illo charactere conſequitur. *Innoc. cap. 3. de Sacr. iter. vel non. 1.* Secundum exemplum ſtigmatis publici reperitur in Aquarijs, Hydrophilaces enim. id eſt, aquarum cuſtodes publici, aquæ ductuum vrbis Regiæ, in manibus ſigno Imperatoris notabantur, vt propter tale ſignum manifeſti ſint omnibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus, & ita ab vſu, cui deputabantur, non auellerentur, per procuratores domorũ, nec angariarũ, vel operarum nomine tenerentur Et ſi ex eis aliquis moriatur, is, qui in eius locum ſubrogabitur, eo ſigno ſignandus eſt, vt quadam militia ſociati ſimul vacent excubijs nec alijs muneribus occupentur. *l. Decernimus 10. C. de Aquæ ductu, & ibi Luc. de penna cap. ſi iudex 12. verſ. Ex ſtigmate De ſent. Excommu. lib. 6.*

Tertium exemplum publici ſtigmatis eſt in *l. Memmia. de reis poſt l.* vel Remmia, per quam calumniatori in fronte imprimebatur litera. K. vel C. quâ indicabatur calumniatum eum eſſe. *l. 1. §. 2. ff. ad Sc. Turpil. & ibi Gothof.* Vnde *Cic. pro Sex. Roſc. literam illam cui vos eouſque inimici eſtis, vt etiam Calumnias Oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poßitis*: Tali inuſto integre frontis teſtis opponitur *l. Quæſitum 3. & ibi Gothofr. ff. de Teſtib.*

Quartum exemplum in *l. 3. ibi & corporales maculas executoribus imponere C. de ſport & ſumpt. in diuer. Iud fac.* vbi dicitur quod executor delinquens in officio ſtigmatica pæna puniri poſſit *Gandin. tit. de pœn. reor. n. 59. Couarr. de Matr. part. 2. cap. 7. §. 3 n. 11.*

Quintum refert *Herod lib. 7. hiſt.* quod Barbari maiorem partem Thebanorum, qui à Græcis ad Xerxem deſciſcebant regis iuſſu compungebant, vel inurebant, per notas regias: item & ſignabantur notis captiui, & in aliquo ſcelere deprehenſi vnde *Senec. lib. 4. de benefic. cap. 137.* & ſeq. tradit ſcelerato cuidam ſupplicij cauſa inuſtam fuiſſe frontem vnde *Plutarch. in Pericle, & Aelianus l. 2. cap 9.* referunt de Samijs, qui Athenienſibus captiuis noctuæ figuram fronti inurebant. Contrà Athenienſes Samijs captiuis Samænæ notam, erat autem Samæna nauigij genus *Iacob. Bonfrer. comment in Leuitic. cap. 19. verſ. 28.*

Sextum recenſet *Couarr. ſupra cit. loc.* quando ait, quod praxis Hispanica criminalis receperit illam pænam, vt contrahentibus binas nuptias candenti ferro fronti imprimatur litera *Q. lib. 6. tit. 15. lib. 8. & lib. 3. tit. 1. lib. 5. in Regijs ordinat.* Ceterum quia lex illa dixit ſigno Q. eſſe inurendum hunc delinquentem opinantur quidam de ſigno crucis intelligendum eſſe, eo, quod talis binubus male ſentiat de fide, atque exiſtimant, legem vitio ſcriptorũ eſſe corruptam. Quod ſi in lege error forſan aliquis adeſt, is eſt in eo, quod erat ſtatutum, vt contrahens binas nuptias ſignaretur hoc ſigno binario 2. quaſi duas habeat vxores, atque inde facilius fuit lapſus, vt ex illis characteribus dualem numerum deſignantibus Q. fieret: vſus tamen obtinuit literam Q. imprimi. Illud vero quod de ſigno Crucis annotauimus fatetur *Couarr.* ſe deprehendiſſe in Regni Hiſpanici Conſtitutionum vetuſtiſſimo codice.

Septimum eſt, quia admittit ius pontificium eandem hanc pęnam,

atque clericis adulterantibus ſigillum Regium, ijs ab Ordinibus deiectis, inuri characterem aliquem ſtatuit in ſignum maleficij *cap. ad audientiam 3. X. de Crim. falſ.* nempe per iudicem temporalis iuriſdictionis *Gloſſ. in d. cap. 3. Nicol. Boer. deciſ. 82. n. 3. Duenn. in fallent. reg. iur. reg. 290. limit. 1.*

Octauum miniſtrat, quod Theophilus Imperator iuſſit ſtigmata inuri Theophani & Theodoro duobus Monachis epigramma 12. verſuũ in facie ob ea quæ refert *Zonaras in hiſtoria*, vt à cæteris diſcernerentur, vnde alludit *Martial. l. 12. Epigr. 62. ad Ligurtam: Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt. Petr. Greg. Thol. in ſyntag. iur. l. 31. c. 35. in fin.* Ita nuper Anno Domini, 1614. in Iapone Chriſtianos Martyres ſigno crucis in fronte à tyranno candenti ferro inuſtos legimus & in imaginibus Romæ excuſis expreſſos vidimus & videmus, inquit *R. P. Cornel. à Lapide ad cap. 9. Ezech.*

Ac licet iure ciuili prohibitum ſit ne hi qui ob commiſſa delicta, relegandi aut deportandi, ſigno aliquo in fronte notentur, quod facies hominis ad ſimilitudinem Dei creata, tam fœdè maculari non debeat *l. 17. C. de pœnis. vbi Gloſſ. l. 2. de Pœn. C. Theodoſ.* ait quem nõ eſſe in fronte bullandum. *Felin. in c. ſignifi. coll. 4. de Homic.* Tamen *Rebuff. in l. Hominis 152. v. 3. in facie ff. de V. S.* ait ſe quandoque vidiſſe apud Gallos etiam ſupremos Iudices corruptos, iniquos aut falſarios in fronte ſignari flore lilij. Imo *VVehner loc. cit.* moribus noſtris obſeruari ait. quod ſæpè crimino ſi hodie ſtigmate notentur. Als die Wildprets diebe. Ita & iure Saxonico plerumque iſti homines qui virgis cæduntur, aut deportantur, ferro etiam candenti in maxilla notari ſolent. vt per hoc ſignum omnibus extraneis criminis reatus innoteſcat. *Gloſſ.* Weichbild. *art. 38. Mynſ. 2. obſ. 46.* Solent etiã aures abſcindi, aut oculi effodi *Gloſſ. in art. 13. l. 2. 2.* hanc dicit eſſe rationem. Quod Saxones olim habuerint longiſſimos capillos, & quod eis fuerint abſciſſi, ideo vt omnibus eſſent noti, at cum hodie capillos non habeant, quod debeant aures eis abſcindi *Fachſ. different. 66. Reinhard. part. 2. diff. 7. Alexander in l. cum in diuerſis ff. de Relig. & ſumpt. Chaſſan. in Catalog. glor. mund. p. 6. conſid. 46.* idque eſt nonum exemplum publicæ ſtigmatizationis.

Decimum ſuppeditat *Petr. à Duenn. reg. 290. limit. 2. ex l. 4. tit. 28 part. 7. Reg. Conſt.* vbi ait quandocunque ciuis vel ruſticus Deo vel eius Genitrici maledixerit ſi nihil habet in bonis pro prima & ſecunda vice, ferro candente ad ſignum crucis ſignum ſignatur in labijs.

# SECTIO V.

## *De Stigmatibus materialibus Violentis Extrinſecis Priuatis tam vituperabilibus, quam non vituperabilibus.*

ILlorum vſus I. olim fuit apud Hebræos, nam ſi Hebræus ſeruiuiſſet ſex annis Hebræo, in ſeptimo anno liber dimitti debebatur, & in teſtimoniũ eius auris fibula vel ſubula erat perforanda. *Exod. 21. v. 6. Deu. 15. v. 17.* Ex duplici cauſa, prima, vt proforatione illâ ſignificaretur ſeruus ille iſti domui obligatus, multaque deinde licet dura, & grauia domino ſuo debere. Secunda. vt ſerui à neglectu libertatis, &, Electione ſeruitutis detinerentur. Erat enim perforatio hæc nota vilis animi, amorem vxoris libertati præferentis, cum tamen Dominus populum ſuum, etiam ſeruos libertate donaſſet, ita explicat *Reuerend. Admod. D. Leonard. Marius in comment. Bib. ad d. c. Exod. 21.* Quidam hoc in pęnam quandam, & confuſionẽ factum putant. *Theod. D. Thom. Abulenſ. Caietan. Lyranus.* vt quod voluiſſet vti beneficio legis, quod negat *Bonfrer. in comment. d. loc.*

Secundo hæc ſtigmata non ſolum in reliquo corpore, ſed etiam in fronte & vultu vſurpata olim legimus varijs de cauſis: Ac inprimis his ferro candente inſcribebantur apud Romanos mali ſerui, eaque inſcriptio fiebat per totam frontem, & vultum vt dignoſcerentur, ab ijſque caueretur, fiebatque hæc inſcriptio non modo vnica litera, ſed pluribus ſubinde, ac integra ſententia vt (Caue à fure) vel ſimili quos ob id ſtigmatias, inſcriptos, literatos, vocauerunt. *Lipſ. Elect. lib. 2 c. 15.* Solebant & ſerui fugitiui apud Romanos notis antiquitus pungi, vel inuri, vt fugientes internoſcerentur *l. 1. §. tamdiu 8. ff. de fugitiu. l. 2. C. de ſeru. fugitiu.* Tales ſtigmatiæ, ſeu ſubuerbuſtæ dicebantur, ſubuerbuſtæ inquam, quaſi verubus vſti, ſeu ſub veru vſtæ. *Feſtus Plautus. Tertull. de pallio,* libertinos in equeſtribus: ſubuerbuſtas in liberalibus: dedititios in ingenuis; Rupices in Vrbanis: ſcurras in forenſibus: Paganos in militaribus. *Gothof. ad d. l. 1 §. 8 ff. de ſeru. fugitiu.* Dicebantur etiam dedititij, qui poſt admiſſa crimina ſupplicijs ſubditi, & publicè pro criminibus cæſi ſunt, aut in quorum facie vel corpore, quæcunque indicia, aut igne, aut ferro impreſſa ſunt, ita vt deleri non poſſint, hi, ſi manumiſſi ſunt dedititij appellantur. *Gai. lib. 1 inſtit. tit. 1. Prate. in lexic. Iuris vocab. dedititij.* Harum notarum apud veteres inuſtarum meminit *Ardemid. lib. 1. Onicror. Plutarchus in Nicia* de Athenienſibus in Sicilia captis loquens (Hos vt ſer-

ſeruos vendiderunt, nota equi frontem innurentes ) Eiusque rei meminit *Plato lib. 9. De ll.* Sic viciſſim Athenienſes captiuas Samiorum punctis in facie notabant, quæ noctuas referrent, teſte *AElian. lib. 2. de var. hiſtor. cap. 9.* idque erat Atticum decretum teſte eodem, in defectores latum. Hinc ſerui frequenter in iure noſtro (ſtichi) appellantur. *vt in L. 16. ff. de pecul. leg. 21. ff. de fideicomm. libert. L. 12. ff. de leg. 3. l. 20. ff. de Aliment. vel Cibar. leg.* & paſſim. Imo in ſuperiori Germania ad hanc ſimilitudinem tralatitiè, Sticher/ nuncupantur, vetuſque ille mos à Geilio ad quotidianum noſtrum vſum accõmodatur, quando ait, quod hodie homines proprij. Leibeigne leuthe/ (qui ſunt in Weſtphalia) malitioſe ſæpè fugiant, & non Dominorum ſæuitiâ, aut intolerabili illorum imperio, vel loci ſterilitate, ſed potius inobedientia, & vini inopia id faciant. ſicut multos vidiſſe ſe ſcribit ex Sueuia, agro frumento fertiliſſimo in Auſtriam vini feraciſſimam, & rerum omnium copia abundantem profugiſſe, & ibidem inter mercenarios, in popinis, & tabernis vinarijs quotidie orioſe conuerſatos fuiſſe, non neceſſitate, ſed deſidiæ & ignauiæ ſuæ conſulentes, digni, vt à præſide Prouinciæ, vom Statthalter vnd Profoſen ex officio caſtigentur, & ignominioſe etiam cum notis publicis, & ſtigmate. Brandzeichen dimittantur, vt ab alijs cognoſcantur & ipſis ſint exemplo, & terrori. Hæc *Geil. in Tract. de Arreſt. Imper. cap. 8. n. 18. VVehnerus pract. obſeru. in verb.* Brandzeichen.

Secundum exemplum refert *Plin. lib. 22. cap. 1.* Barbarorum fæminas, matresque etiam: apud Dacos, & Sarmatas corpora ſua inſcribere, hoc eſt ſigna notaſque ſuis corporibus imprimere, quo venuſtiores appareant. *Petr. Greg. Tholoſ. in Syntag. iur. vniuerſ. lib. 31. cap. 38. vnde. Herodot. ait lib 5.* poſt principium punctis notatas eſſe frontes, nobile iudicatur, non eſſe notatas punctis ignobile *& Cicer. lib. 2. offic. & Valer. Maxim. lib. 9. cap. 13.* Barbarum compunctum notis Treicijs dixerunt.

Sicut è contrario (Quod Tertium Exemplum eſt) Apud Thraces mulieres flagrarunt tanto odio, quod Orpheum diſcerptum à mulieribus dicerent, vt viri vxoribus ſtigmata inurerent in Orphei vltionem. *Alexan. ab Alexand. lib. 2. Genia. l. dierum cap. 14.*

Huc referri poteſt pro exemplo quarto, Quod in regno Præto Ioannis, quem alij vocant Præſto Ioannem, alij pretioſum, alij Presbyterum. Ioanné Münſter. in *Coſmograph. lib. 6. cap. 56.* & maſculi & fæminæ circumcidantur, poſt circumciſionem autem maſculi ad quadrageſimũ diem, mulieres verò ad octogeſimum, niſi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus ſit feſtinatione, aqua & igne baptizantur inſuper ipſorum frontibus ſtigmata inuruntur *Guilielm. Ianſon in tabula Geograph. & Hydrograph.*

De Britannis *Herodian. refert lib. 3. & Iſidor. lib. 19. originum.* de Gelonis *Solinus cap. 20. & Seruius ad illud Virgilij pictoſque Gelonos*, idque ferro facere ſolitos teſtis *Claud. l.1. in Ruffinum.*

*Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonis.*

De Agathyrſis idem qui *ſupra Solinus & Pompon. Mela l.2.cap.1.* quos etiam ob id pictos Virgilius alibi vocat. Porro has figuras, vel literas ſubinde atramento fuiſſe impletas, vt in illis apud *Zonaram* Monachis, ſubinde alio colore, ad decoré, vt de Britannis *Herodianus*, de Gelonis *Solinus.* de Pictis *Iſidorus* indicant. Deniq; hoc notandum, quod vetitum fuerit Iudæis, cauſa parentis, vel amici demortui, ferro vel acuto, vel candente, corpus lædere, quod veriſimile eſt tunc gentium moribus fuiſſe receptum *Leuit.19.cap.v.28. & ibi Iacob. Bonfrer. in comment. Biblic.* Inter prædicta ſtigmata ſeu ſigna, & Cicatrices hæc differentia eſt, quod illa vituperabilia ſint regulariter, hæ verò non, iuxta *Angel. in L. Si venditor.* §. 1. *ff. de AEdilit Edict. & in tract. de Malefic. in* §. *Cicatrix*, quæ definitur, quod ſit quædam ſciſſura apparens in exteriori parte cutis: *Bald. in l. ſi quis in metallo. C. De Pœn.* Ex quo ſequitur, quod per cicatrices & ſigna dicuntur homines dignoſci vt in *l. 1. §. 1. ff. de fugitiu.* Ea autem duplex eſt, vna deformans faciem, alia non deformans vt patet ex *L. fin. ff. De his qui effud. vbi Florian.* per diſiunctiuam [ Aut ] quæ debet poni inter diuerſa. Confer. *L. 3. ff. ſi quadr. paup. feciſſ. dic. l. 17. §. 1. de vſufr.*

## SECTTIO VI.

### *De ſtigmatibus ſupernaturalibus, materialibus extrinſecis diuinis.*

HÆc ſigna diuiduntur, vt alia dentur, propter Securitatem, alia propter vitæ ſanctitatem, alia propter vocationē. Exempla eorum quæ dantur ob ſecuritatem ſunt. primo *Geneſ. 4. v. 15.* Deum Caino fratricidæ ſignum impreſſiſſe legitur, ne à quoquam cui obuiaret, interficeretur, quod ſignum de tremore horribili, omniū membrorum & toruo, truculento, ac ſanguinario, qualis ferè in homicidis conſpici ſolet, faciei vultu intelligi, quo dignotus, ille ab omnibus, fratrem ſuum innocentem occidiſſe, ſicque omnibus abominabilis fuerit redditus, vt nec quiſquam conuerſationem eius, minus ſanguinem ſitiret: idque in diuturniorem Caini ipſius punitionem, aliorum vero correctionem factum eſſe, ex communi vetuſtiorum Theologorum ſententia refert Nicolaus *de Lyra in Gloſſ. d. cap. 4. ex D. Hieronym. & Procopio doctiſſ. D. Marius in comment. Bibl.* qui ait, quod ille tremor non fuerit naturale

ſignum,

ſignum, indicans Cain non debere occidi, ſed quod ſimul per ſermonem, & mutuam traditionem, apud omnes hoc inuulgaretur. Alij ex Rabbinis putant fuiſſe eiulatum mirum, alij furorem, alij vagam fugam, alij reptatum inſtar infantis, alij notam peculiarem ipſi inuſtam, & veluti cauteriū, quo ab alijs hominibus dignoſceretur. *Alſted lib. 20. Encyc. hiſt. c. 12. Reg. 8.* Quidam fabulantur fuiſſe canem, ſemper præeuntē quocunq; iter faceret: Alij è Rabbinis, fuiſſe cornu in fronte, alij literam aliquam nominis diuini, v. g. ה. fronti eius impreſſam. *Iacob. Bonfrer. Comment. in Geneſ. ad d. cap. 4.*

Alterum ſignum ſecuritatis deſcribitur apud Prophetam. *Ezech. cap. 9. verſ. 4. his verbis.* Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediā ciuitatem in medio Hieruſalem, & ſigna (TAV) ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius & illis dixit audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite, non parcat oculus veſter, nec miſereamini ſenem, adoleſcentulum & virginem, paruulos, & mulieres interficite vſque ad internecionem, omnem autem ſuper quem videritis (TAV) ne occidatis. Hoc ſignum TAV, alijs idem, quod, viuēs, alijs idem quod ſimplex, innocens, & perfectus eſt, ac proinde dignus, qui in vita ſeruetur, alijs denotat thora, id eſt, legem, alijs, ſignum crucis, iuxtà *Hieron. Orig. Tertull. Ambroſ. lib. 1. de Abrah.* Quocirca Syri Codices, hic, pro ſigna Tau, legunt, ſigna crucem, vti refert ex *Caninio Iohan. Grial.* in notis ad *Iſid. l. 1. Etymol. 3. R. P. Iacob. Gretz. lib. 1. de Cruc. cap. 51.* Hoc ſignum TAV, eſt ſignum vitæ, vti theta θ. ſignum θανάτȣ apud Græcos mortis. *Auſon. in Eunum. Epigram. 120.* Vnde & in fine mundi, Crux ſignum erit ſeruorum Chriſti, oppoſitum ſigno beſtiæ, id eſt, Antichriſti, *Apocal. 13. verſ. 16. Apoſt. ad Epheſ. 4. verſ. 30. Apocal. 7. verſ. 3.* Addit *Andr. Cæſar.* Quod tempore Antichriſti ſigno crucis fideles ab infidelibus ſecernent. *Tunc, enim,* inquit, *fideles intrepidè, citraq; ruborem ſignaculum crucis Chriſti in conſpectu impiorum deferent.* Imò putant nonnulli, *teſte Salmer. in c. 24. Matth. verſ. 30.* Cruce quaſi teſſera & Trophæo in frontibus inſigniendos omnes Beatos in cœlo, vt ſignificetur eos meritò crucis tam Chriſti, quam ſuæ Cœlum poſſidere, idque Allegoricè, vel potius Anagogicè hic ſignificari, cum dicitur. *Signa Tau* ſuper frontes virorum gementium, literaliter verò idipſum dicere S. Ioannem. *Apoc. 7. v. 3.* Signemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Alludit hic Ezechiel ad ſeruos, qui Domini ſui nomen aut ſtigma inuſtum in corpore, ac præſertim in fronte geſtabant, teſte *Rodigin. lib. 5. cap. 31. de quibus ſuprà. Confer. R. P. Cornel. à Lapide. ad cap. 55. Eſai. n. 11. & d. cap. 9. Ezech.* De hoc ſigno legitur *l. 3. tripart. hiſtor.* quod

ſcripſerit Conſtantinus Imperator ad Regem Perſarum. *Hunc Deum colo, cuius ſignum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris & à quo dum iuſto ſermone aliquid poſcitur, impetratur. vid. c. Nunquid 10. diſt. 5. de conſecrat.*

Tertium ſignum ſecuritatis traditur, *Exod. 12. verſ. 12. & 13.* Vbi Dominus Deus loquitur ad Iſraelitas. Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terrâ Ægypti ab homine vſq; ad pecus: & in cunctis Dijs Ægypti faciam iudicia ego Dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos; nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti &c. Hoc ſignum ſanguineum debebant in teſtimonium ſecuritatis foribus ſuis præſcribere; ſicut Raab meretrici ſignum fuit funiculus coccineus. *Ioſue 2. verſ. 12. S. Hieron.* hanc poſtium & ſuperliminaris inſcriptionem refert ad venerabile ſignum crucis. Idem fecit *S. Auguſt. lib. 12. contra Fauſt. & tract. 50. in Ioann.* Quando priori loco ait, ſignantur fideles ſigno Dominicæ Paſſionis ad tutelam ſalutis, & poſteriore loco. Signum crucis expellit à nobis exterminatorem, ſi cor noſtrum recipiat Saluatorem. Alij per hoc ſignũ præclaram ſanguinis Chriſti figuram putant expreſſam. *Bonfrer. in comment. Bibl. ad cap. 12. Exod. verſ. 13.*

Quartum Exemplum peti poteſt ex *Apocalypſi cap. 7. verſ. 2.* Vbi ab Angelo ſignãtur ſerui Dei in frontibus, id eſt, electi ſigno crucis *iuxt. Dionyſ. Carthuſ. in Apocalypſi.*

In claſſe eorum ſtigmatum quæ imprimuntur ob ſanctitatem, ponuntur inſignia Paſſionis Dominicæ, quæ ſeipſo teſte. D. Apoſt. Paulus geſtauit in proprio ſuo corpore quando ait ad *Galat. cap. 6. verſ.* 17. De cætero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Quæ verba à *R. P. Cornelio à Lapide* ſic explicantur. Nemo de cætero Iudæorum mihi moleſtus ſit, rogando me an ſeruus ſim Chriſti, an Moyſis, nam cuius ſim ſeruus, patet ex ſtigmate meo. Ego non ſtigma circumciſionis præfero, vti faciunt ſerui legis, ſed Chriſti ſtigmata: vel vti *Maldon. in notis manuſcriptis vertit.* Nemo mihi ob Apoſtolatum meum litem intendat, meum enim Apoſtolatum ſtigmata pro Chriſto inuſta ſatis probant. Paulus ergo ſtigmata Chriſti hic vocat plagas, & cicatrices ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus propter Chriſtum ſuſceptis, corpori ſuo impreſſas. De quibus. *2. Corinth. 11. verſ. 22.* & apud *Alphonſ. Palaot. in tr. de ſtigmat. Ieſu Chriſti per tot.* Quæ ſtigmata coram Deo non dedecora ſunt, ſed ſummæ laudes, vnde vti milites vexilliferi, & Capitanei ſua vulnera, & cicatrices oſtentant quaſi ſigna fortitudinis, & gloriæ bellicæ; ita ego Paulus, hæc ſtigmata, has plagas, quaſi trophæa militiæ

Chriſti, non tantum habeo, ſed porto inquit, ac oſtento. Ita *Hieronym. Chryſ. Anſelmus, D. Thomas. Haymo. Theoph.* ſimili modo in ſuis vibicibus, ſtigmatibus pro defenſione ſanctarum imaginum ſuſceptis gloriabatur *B. Theodorus Studita* Anno Domini 824. Cum enim *Leo Armenus* Imp. Iconoclaſta eum ſibi reſiſtentem flagellari iuberet, ipſe ilicò ſpontè zonam ſoluit, poſitaque veſte corpus medium obtulit ad verbera. *Voluptati enim* inquit *mihi eſt corpuſculi huius flagellatio, atque iſta demum ſuprema eius depoſitio, quo citius nuda anima euolem ad eum quem deſidero.* Acriter ergo flagellatus, poſt verbera exultans ad Naucratium. *Annon ait diadema geſtantium gloria, mirabilius ſtigmata ferre Chriſti, viuificas eius paßiones, ſeu coronas? Baron. in eius vita.* Sic S. Franciſcus vt narrat *Bonauent. cap. 13. vitæ S. Franciſci.* Ab Angelo Seraphino Crucifixum alis ſuis continente, Chriſti Crucifixi ſtigmata, id eſt clauos per pedes, & manus vulnuſque lateris, inſtar Chriſti accepit, quia totus in Chriſti crucifixi amorem, imitationem, & obſequium tranſire geſtiebat. Erant hi claui non è ferro, ſed è carne mortua calli, inſtar clauorum, capite ſcilicet craſſiore extante, & cuſpide acuta interius reflexa, qui ſanctum virum ita cruciabant vt vix incedere poſſet: ſicut nos torquent in inceſſu calli pedum ex carne mortificata, quos Flandri, Belgæ, & Weſtphali Exteren ögen. Agrippinenſes Elſterangen / oder Leichdorne vocant. *Excreuerat ait S. Bonauentura in Franciſco inſuperabile amoris incendium boni Ieſu in lampades ignis, & flammarum, vt Seraphicis deſideriorum ardoribus ageretur, & per Seraphin ſtigmata ſibi imprimentem cognouit, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti Crucifixi ſimilitudine transformandum.* Hæc ſtigmata ſe proprijs oculis in S. Franciſci corpore mortuo conſpexiſſe teſtatus eſt *Alexander IV.* Pontifex ex cuius ore idipſum audiuit *S. Bonauentura.* Verum de hiſce ſtigmatibus non loquitur *S. Apoſtolus Paulus loc. præc.* nec conſtat talia, qualia *S. Franciſcus* habuit in S. Paulo fuiſſe, imo illa eius itinera, ac labores valdè impediuiſſent. Vnde nec imagines Pauli antiquiſſimæ ea nobis exhibent. Imo *Sixtus IV.* bulla quadam, quam refert *Henricus Sedulius in notis ad vitam S. Franciſci*, vetuit ſub pænâ excommunicationis, ne quis ſanctum alium quam S. Franciſcum pingat cum quinque ſtigmatibus. Legitur tamen in vitâ *S. Catharinæ Senenſis*, quam *R. P. Raimundus Capuanus Ordinis Prædicator. Magiſter Generalis* ſcriptam reliquit, quod ſub raptu illa quinque vulnerum ſtigmatibus Chriſti inſignita fuerit. Nemo autem moleſtè ferat, inquit idem ſcriptor, quod huic Sanctiſſimæ Virgini ſacra Domini ſtigmata concedamus, cum hoc ipſum Pius Papa II. in hymno teſtetur his verbis.

Quo

*Quo nequit dici ſanctius per orbem,*
*Vulnerum formam miſerata Chriſti*
*Exprimis ipſa.*

Idem traditur de S. Clara, cuius cor Chriſtum Crucifixum geſtabat, & inſculpta flagella exhibebat. *Alphonſ. Palæot. cit. loc. pag. 98. lit. A. & 331. lit. B.* Huc referri etiam aliquo modo poſſunt ſigna vocationis, de quibus loquitur *S. Propheta Iob. c. 37. v. 7.* His verbis. QVI IN MANV OMNIVM HOMINVM SIGNAT, VT NOVERINT SINGVLI OPERA SVA. Nã ex diſpoſitione manuũ aliquatenus licet conijcere, quibus operibus exercẽdis ſinguli apti ſint, calamo nimirum, aratro, haſtæ, aut ſimilibus: in cuius rei argumentum Dauid dictus, *manu fortis*, qui poſteà apparuit admodũ bellicoſus. Aquinas hoc ſignum ponit in mutationibus temporum, & aëris, ex quibus homo diſcit, quid ſibi præſertim in Agricultura, nauigationibus alijsq; itinerationibus agendum ſit, ex quibus ſignis etiam INGREDIETVR BESTIA LATIBVLVM, ET IN ANTRO SVO MORABITVR. Sed ſi hic ſit ſenſus, cur vt in manu hominis Deus non ſimiliter dicitur ſignare in manu beſtiarum, vt nouerint ſingulæ opera ſua. *Ianſon. in Enarr. ſuis in Iob. c. 37.*

## SECTIO VII.

### *De ſtigmatibus ſupernaturalibus materialibus Diabolicis, & quidem primo Antichriſti.*

SAnctus Apoſtolus *Paulus in Epiſt. 2. ad Theſſalon. cap. 2. verſ. 8.* ait, *Et tunc reuelabitur ille iniquus* (Antichriſtus ſcilicet qui κατ' Αντονομασίαν dicitur ὁ ἄνομος. id eſt iniquus & impius) *quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui* (ſcilicet, cũ venerit ad iudicandum) cuius ſcilicet Antichriſti aduentus eſt ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigijs mendacibus. Occaſione prædicti ſacri textus libet paululum inquirere pro illuſtratione propoſiti thematis in ortum, educationem, vitam, & ſtigmata Antichriſti.

Aliqui putarunt Antichriſtum fore Diabolum incarnatum, vt opponatur Chriſto Deo incarnato, vt ſicut Verbum per humanitatem aſſumptam operatum eſt, & vim ſuam exeruit, ita Sathanas per carnem aſſumptam operetur, & vim ſuam exerat *Theodoret.* verum quia fieri non poteſt vt Diabolus aut alia creatura carnem, aliamúe creaturam hypoſtaticè aſſumat, ſicut Deus aſſumpſit carnem humanam vt docent Theologi

logi. Hinc Secundo. *Hipppolytus Martyr lib. de Conſummat. Secul.* cenſet Antichriſtum fore dæmonem, non incarnatum, ſed in carne apparentem, & de falsâ virgine falſam, & phantaſticam carnem aſſumentem. Tertio. Alij apud *Rabanum tract. de Antichriſto*, putant Antichriſtum non fore dæmonem, ſed hominem, qui tamen ex virgine opera Dæmonis concipietur, vti Chriſtus conceptus eſt ex Virgine de Spiritu S. Verùm non poteſt Dæmon virginem fœcundare, niſi vt ſuccubus aliunde ſemen humanum exceperit, quod deinde virginis vtero infundat, ac proinde non manebit virgo, quæ ab eo imprægnata fuerit: ſed more cæterarum puerperarum clauſtris virginitatis reſignatis concipiet, & pariet. Huic ſententiæ videtur aſſenſum præbere *Bellarminus*, qui putat non erroneum dicere Antichriſtum naſciturum ex Diabolo & muliere eo modo, quo dicuntur quidam nati ex incubis Dæmonibus. Nam etſi Diabolus, inquit, non poſſit per ſe ſine ſemine viri hominem producere, tamen benè poteſt in corpore aſſumpto, in forma mulieris exercere cum viro actum carnalem, & ſemen recipere, ac deinde ipſe idem, in forma viri, cum muliere ſimilem actum exercere, & ſemen à viro acceptum, in vterum mulieris inijcere, & eo modo hominem gignere. Idem *Auguſtin. lib 15. de ciuitate Dei cap. 13.* & addit tantâ experientia id comprobatum eſſe, vt adhuc velle negare impudentiæ videatur. Quarto, probabilius *Franciſcus Suarez* & multi alij volunt, verbis hiſce Paulum ſignificare, quod Antichriſtus omnem operationem Diaboli in ſe ſuſcipiet à puero, quodque Diabolus,

Primo in vtero matris Antichriſti humores ſic attemperabit, vt Antichriſti temperamentum, & complexio fiat propenſiſſima ad omnia vitia, & hoc videtur velle *S. Hieronym.* cum *in cap. 26 Iſaiæ.* Dæmonem vocat Patrem Antichriſti. *Cornel. à Lapide ad d. cap. 2 Epiſt. 2. ad Theſſalon.*

Secundo ab infantia Antichriſtum replebit Dæmon malitia ſua, non quaſi Antichriſtus à Dæmone poſſidendus ſit corporaliter, tanquam arreptitius: ſic enim non eſſet liber, nec peccaret, ſed quia ſemper, & in omnibus, eum à puero reget, & gubernabit Dæmon. *Damaſc. lib. 4. de fide cap. 27.*

Tertio in virili ætate Dæmon per Antichriſtum operabitur, non tantum omne ſcelus, & nequitiam, ſed etiam omnia ſigna, & portenta mendacia, *Matth. 24. verſ. 24. Marc. 13. verſ.* 22. omnem blandiloquentiam, ſapientiam, minas, terrores, & tormenta, omnemque vim ſuam exeret, ad decipiendos, & alliciendos à Chriſto ad ſe homines, & hæc ſufficiant de ortu, & educatione. Tria faciet inſuper Antichriſtus miracula, ex varijs cauſis mendacia, eaque deſcribuntur in *Apocalypſi 13. cap.*

*verſ. 3. & 11.* Primo, ſeipſum plaga mortifera ſaucium ſanabit. Secundo, faciet ignem de cælo deſcendere *verſ. 13. ibid.* Tertio, faciet ſtatuam eius loqui, *ibid. verſ 15.* vtetur ſeptuplici fallaciâ, Primò magnâ comitate, & gratia ſe inſinuandi, captandiq́ue hominum gratiam. Secundo, ſanctimonia ſimulata. Tertio, ſapientia ſua, & eloquentia incredibili, callebit enim omnes artes, & ſcripturas, ait *Anſelm.* Quarto, largiendo & promittendo ſuis opes ingentes. Quinto, reluctantibus, inferendo terrores & tormenta exquiſita. Sexto, faciendo ſigna & prodigia rudibus admiranda. Denique à Dæmone ſuo omnem fallendi artem addiſcet. *R. P. Cornel. à Lapide cit. loc.* Mores eius erunt hi, erit I. hypocrita, *Apoſt. cit. loc.* II. Ambitioſus III. impudens *Apocalyp. 13. v. 6.* IV. crudelis ibid. *verſ. 10.* V. Luxurioſus, *Daniel. 11. verſ. 38.* Magus, & magicis artibus à puero imbutus, habebitque Dæmonem Maozim nomine, vt inquit *Daniel. cap. 11. verſ. 8.* Doctrina eius erit talis I. docebit Ieſum non fuiſſe Meſſiam, nec Filium Dei, nec hominum Saluatorem, ideo appellatur Antichriſtus *1. Ioan. 2. verſ. 22* II. ſe eſſe Meſſiam Iudæis perſuadebit, vnde initio docebit circumcisionem, & legem Moyſis ſeruandam eſſe, vt ita Iudæos ad ſe trahat. *Ioan. 5. verſ 43.* III. legem humanam & diuinam abrogabit. *Daniel. 7. verſ. 25.* IV. licentiam dabit omni libidini V. ſe curabit coli vt Numen. VI. Characterem ſuum imprimet, quaſi ſuæ ſectæ ſignum, eumque volet ab omnibus ſuis, in fronte aut manu geſtari *Apocalyp. 13. verſ. 16.*

Quis, qualiſque futurus ſit hic Character Antichriſti, non ſatis conuenit inter Patres & Theologos *Dionyſ. Carthuſ. cit. loc. in Apocalyp. fin.* primo explicat Characterem illum moraliter, per conformitatem, ſeu imitationem vitæ, doctrinæque eius, quæ in manu dextra, ac frontibus, id eſt, opere manifeſto, & oris Confeſſione, ſeu mentis manifeſtatione, ab Antichriſtianis habebitur. Secundo ait, hoc fortè corporaliter ſic erit, vt ſcilicet ad diſcernendum credentes in Antichriſtum ab alijs, faciant eos certo ſigno aut figura notari. Alij aliter. *Hippolyt. enim lib. de conſummat. ſe.ul. Pererius,* & alij multi fore hoc. *Nego Crucem, Nego Baptiſmum, Nego Ieſum,* ſed *Ansbertus* quem ſequitur *Ribeira in cap. 13. Apocalyp.* à Deo ſibi reuelatum dicit, fore Græcam literam. X cū P. id eſt, ῥόδον, roſam & voluptatem inter ſpinas caput attollentem, quæ ſunt literæ initiales nominis Chriſti; quod fuit inſigne Conſtantini Magni in Labaro, volet enim Antichriſtus haberi Chriſtus. *R. P. Cornelius à Lapide 2. Epiſt. D. Paul. ad Teſſ. cap. 2. v. 4.* Crux ergo eſt Character Sanctorum, & electorum, voluptas vero Character impiorum & reproborum. idem in *Apocalypſi cit. loc.* Aliter Primaſius Beda, Rupertus, qui putant Characterē Antichriſti eſſe literas, quibus ſcribetur nomen Antichriſti, vel eius

effigiem.

effigiem. Bellarminus putat etiam poſitiuum Characterem excogitandum ab Antichriſto: ſicut Chriſtus habet ſignum crucis omnibus notum, ſed ignorari quiſnam ſit ille Character, donec Antichriſtus veniat, *Author de tribus Energum.* de *conform. oper. cap.* 15. *circa finem.* Alij putant fore Draconis inſigne, vt *Ribeira*, de quo *Alcaſar. in Apocalyp. cit. loc.* Qui tamen ſententiam *Hippolyti* approbat, qui putat fore Ἀρνοῦμαι. id eſt, nego. *Perer. in Daniel. c.* 12. *verſ.* 1. Huius ita à ſancto Paulo deſcripti Antichriſti, eodem tempore omninò fuerunt, & etiamnum ſunt Prodromi, deſignati per verba illa præcedentia Apoſtoli, *in eod. cap. verſ. 6. Et tunc quid detineatis ſcitis; vt reueletur in ſuo tempore (nam myſterium iam operatur iniquitatis tantum, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.)* Sicut enim Moyſes, Ioannes Baptiſta, & Prophetæ præceſſerunt Chriſtum, illique viam præpararunt; Ità per myſterium iniquitatis, intelligitur Simon Magus, eiuſque aſſeclæ, ſortilegi, Hæretici. Nero, Caligula, Adrianus, Decius, Heliogabalus, Diocletianus, reliquique Tyranni, qui alias per portas inferorum deſignantur, *Matth.* 16. *verſ.* 18. Vnde *S. Ioann. Epiſt.* 1. *cap.* 2. *verſ.* 18. ait. *Nunc Antichriſti multi ſunt.* Hos omnes faciet Antichriſtus habere Characterem in fronte aut manu. *Apocalyp.* 13. *verſ.* 16. & 17. vt fiat proculdubio alluſio ad antiquæ militiæ morem, in qua qui nomen ſuum dabant, ſtigma Principis in manu accipiebant, vt ſupra dixi; & patet ex Veget. *l.* 1. *c.* 8. & *l.* 2. *c.* 5. vbi ait *victuris in cute punctis ſcribuntur milites.* Quæ inſcriptio videtur fuiſſe eiuſmodi, quæ nomen ſiue Ducis, ſiue Regis, ſub quo militabant, contineret. Accipere autem Characterem in fronte, vel in manu dextra, videtur maioris æſtimationis ergo fieri, ſiue maioris ſubmiſſionis militis illius qui eo ſigno notatur, & quaſi ſeruum ſe eo ſtigmate profitetur. *Confer. Lipſ. lib.* 1. *de Milit. Dialog.* 9. Et quia bellicum ſtratagema eſſe ſolet vt peculiari aliquo ſigno milites omnes vnius factionis, conſtituantur, quo reliqui eo ſigno carentes, pro hoſtibus reputentur: ſic ergo tres aduerſarij, qui ad bellum Chriſtianis inferendum conuenerunt, ſunt, Draco, per quem repræſentatur malitia Dæmonis, Marinæ beſtiæ, id eſt, *ſuperbia vitæ.* & Beſtia terræ, id eſt, concupiſcentia carnis *1. Ioann. 2. verſ. ibid.* prohibebunt, ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui Beſtiæ habeat Characterem, & reliquos omnes quaſi ex ſignatorum commercio & communione ſeiungent, eiſque quaſi aqua, & igni interdicent. arg. illius quod dicitur *Ioan.* 4. *verſ.* 9. *Non coutuntur Iudæi Samaritanis.*

Si verò quæras, quo nam Inſtrumẽto character hic imprimeretur? Ferrone an gladio? Reſpõdeo vtrumq; fortaſsè diu in vſu fuiſſe, nã puncturæ in cute (ꝙ Vegetius ait) proculdubio fiebant, acuminatâ cultelli cuſpide,

ſicut & hodie Afræ, ſiue Maurorum fœminæ brachia huiuſmodi ſtigmatibus ſolent depingere. Sed *Machabæorum 3.* (vt habetur in editione *Sixti fol. 1403.*) Philopator Ægypti Rex iuſſit Iudæos deſignari per ignem inſigni Liberi hederæ folio, id eſt folio hederaceo, in honorem Bacchi, vt hoc ſigno, quaſi legitimo Bacchi titulo eius cultores conſignarentur. *Alcaſar in Apocalyp. cap. 13. verſ. 16.* Quomodo autem Antichriſtus ſuis clientibus, & aſſeclis, ſuo tempore, hunc ſuum characterem imprimet, non ſatis conſtat. Putant nonnulli, quod Antichriſtus ſuis aſſeclis, notam certam fronti, aut manui, ferro, aut cultro incîdet, aliove modo imprimet, vel affiget, vti nos facimus pecudibus, vel iumentis noſtris. Talem enim notam Latinis ſignificat Character, & Græcum χάραγμα, propriè ſignificat notam impreſſam vel inſculptum, ita, *Vatab. & Viegas.* Ita Arriani præcurſores Antichriſti ſub Hunerico rege cogebant Orthodoxos à ſacerdotibus Arrianis rebaptizari & huius rei Chirographum eis deinde tradebant. Quia non licebat, ait *Victor Vticenſis lib. 3.* Wandal: *ſiue priuatis, ſiue nego iatoribus alicubi tranſire*, niſi *ſcriptam Characteris initio ſuam oſtenderent mortem.* (id eſt, ſe eſſe ab eis rebaptizatos, quod erat peccatum mortale, mortemque animæ attulerat) quam per reuelationem ſeruo ſuo Ioanni olim oſtenderat Chriſtus, vbi dicit. *nulli licere aliquid emere, niſi qui habuerit Characterem Beſtiæ in fronte ſuâ, vel in manu ſuâ.* Character ergo *Hunerici* erat Chirographum, ſiue teſtimonium, quod quis eſſet ab Arrianis rebaptizatus: Simili fortè modo, Character hic Antichriſti in chartâ excudetur, & ſingulis dabitur, vt eum affigant fronti, vel manui, hoc enim facillimum, & expeditiſſimum erit, in tanto Antichriſtianorum numero, Itaque credibile eſt zelantiores Antichriſtianos, eoſq; qui præ cæteris gratiam Antichriſti aucupabuntur, ſibi ſuiſque inciſuros, vel inuſturos eius Characterem: Alios vero eum, vel impreſſum in chartâ, vel inſculptum in medallijs, in fronte aut manu geſtaturos. *R. P. Cornel. à Lapide in Apocalyp. verſ. 16. cap. 13. S. Ephrem tract. de Antichriſto*, ait id facturum Antichriſtum hoc fine, ne ſcilicet ſit locus in fronte, in quo crux per manum dextram formetur, & pingatur. Timebit enim ne facto ſigno crucis, vis ſua & poteſtas corruat.

Pro vlteriori ſuperiorum intellectu, quædam ex *Florimundi de Ræmund.* Antichriſto. *cap. 42.* tranſlata referam. Hoc ſolùm ſcimus quod habiturus ſit quoſdam Characteres particulares ad cognoſcendos ſuos. Hi Antichriſtiani erunt notati quemadmodum notati fuerunt Chriſtiani ij qui inciderunt in manus Abdalæ Ducis Saracenorum anno 764. quorum manibus ferrum candens imprimi curauit. Et quemadmodum Principes diſcernunt ſuos ſubiectos per notas & ſigna diſtincta, hic portans

aquilam, alij ſemilunium: alij crucem rubram, nos albam: Et vt apud Homerum Agamemnon Corallium portaſſe animaduertitur, Vlyſſes Delphinum, Hipomedes Typhonem; aut veluti agnoſcuntur inſeruientes, Officiales ſiue famuli Domini vel nobilis alicuius per ſuos colores & certum veſtimentorum habitum: Ita magnus hic Antichriſtus potens & formidabilis debellator huius mundi Monarcha inuictiſſimus notabit neſcio quo charactere ſubiectos, illosque qui ſunt de ipſius factione, ad inſtar Chriſti Domini noſtri qui ſuos notauit, externè per Venerabile crucis ſignum, ſicut etiam illos notauit internè quoad animam per ſuum diuinum characterem dicit Diuus Auguſtinus, & alij Sancti Doctores, in Sacramento Baptiſmatis & Confirmationis, quæ & idcò non poſſunt reiterari. Gloriemur ſolummodò dicit Apoſtolus in cruce. Verba à S. Epremo intellecta de ſigno crucis, quo nos & alios ſignamus ad teſtimonium nos eſſe Chriſtianos profitentes veram fidem. Sathanas ſemper habuit quędam ſigilla vel notas ad recoginitionem & ſubarrhationem ſuorum veluti patroni quoad ſeruos & mancipia ſua. Hoc fit manifeſtum quotidie per deteſtandam ſagarum incantatorumque colluuiē, quę quaſi repullulat in noſtra patria. Fuit quidam veneficij Magiſter famoſus Triſcalanus nomine, cui rex noſter clementiſſimus Carolus nonus vitam largitus eſt, quia manifeſtauit magnum ſuorum complicum numerum per hanc notam cuidam corporis parti impreſſam, quæ vngulam leporis repræſentabat. Horum quoſdam vidi, qui internoſcebantur ex parua quadam macula in oculo exiſtente. Hic character Antichriſti, dicit prophetiſſa Hildegardis ſemper extitit in Lucifero: ſed illum nunquam reuelauit nec in vllo manifeſtabit, niſi in eo ſolo quem totum in vtero matris poſſidebit. Et ob hanc cauſam ſibi perſuaſum habet, quod ſua potentia omnia poſſit facere. Illi qui portabunt hoc ſignum ibunt in ignem æternum, & cæteri in gloriam ſempiternam.

## SECTIO VIII.

### *De Stigmatibus ſupernaturalibus, materialibus Diabolicis, quæ inuruntur ſortilegis, & primo,*

### An dentur?

S. *Propheta Iob c. 40.* Behemoth ſeu Diaboli malitiam, potentiam & vim deſcribens, inter alia ait, *v. 11.* Fortitudo eius in lumbis eius, & vir-

virtus illius in vmbilico ventris eius. Quæ verba. *D. Thomas* referente, *Iacob. Ianſon. in Enarrat. ſuis* intelligit de lumbis & vmbilico ipſius Behemoth, quæ aſſumit quando ſe alicui hominum exhibet incubum, vel ſuccubum, per ꝙ hominibus vtriuſq; ſexus multum præualet, & dicitur caudam, quam conformiter adhunc ſenſum intelligit eam, quam *Horatius* vocat ſalacem *v. 12.* STRINGERE QVASI CEDRVM ET HABERE NERVOS TESTICVLORVM PERPLEXOS, propter incommoda, quæ concumbentibus in locis genitalibus adfert, de quibus *Nicol. Remig. in Dæmonolatr.* Pergit autem idem Propheta. *Eod. cap. verſ. 23.* Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? Quod idem *Ianſon.* explicat, Paciſcitur Behemoth, id eſt, teſte *D. Hieronymo*, Diabolus, nonnunquam hominibus præſtare obſequium, quod & variè præſtat, ſed illa ſeruitus non eſt ſempiterna, quia etiam in hac vita aſtutè & fraudulenter exercet in heros ſuos Tyrannidem, maximè inuiſibiliter quæ poſtmodum adferet apertam ſeruitutem, atque intolerabilem. O pactum nefandum, quod an homo ad imaginem Dei conditus reciprocè vnquam cum Sathana ineat, poſſet quis meritò dubitare: Verum audiamus iterum S. Scripturam.

*S. Propheta Iſaias c. 28. v. 15. inuehitur* in impios hac increpatione. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum. Illam *Paul. Grilland lib. 2. de ſortil. c. 3. quæro n. 1. & 3.* accipit de duplici ſortilegorum profeſſione, Tacita ſcilicet & expreſſa: Tacita eorundem profeſſio eſt; promiſſio quædam quam quis facit alteri profeſſo, de obſeruando, quæ ſibi mandauerit; ſub promiſſione, quod grandia faciet, & mirabilia in vita ſua, cognoſcet futura, & multa alia his ſimilia, dummodo (horrendum relatu) fidem Catholicam abijciat, & omnia Eccleſiaſtica Sacramenta peſſundet, & totis viribus adhærebit cultui & obedientiæ ſui Magiſtri, & illum tanquam verum Principem, adorabit, cultum veræ adorationis ſub idolorum forma ſibi præſtando, & alia huiuſmodi turpiora pacta & cuncta opera per ipſum facienda, ſub illius nomine, & deuotione conficiet; Et iſta dicitur tacita profeſſio, quia non fit propriè cum Dæmone, ſed cum miniſtro Dæmonis, & in quâ nullæ interueniunt ſolennitates extrinſecæ, quæ interuenire ſolent in expreſſa profeſſione, ſicut eſt ſolennis ſtipulatio, fides præſtita per iuramentum de obſeruantia promiſſorum, item homagium & fidelitatis promiſſio, erga Dæmonem, vna cum poſtergatione, & omnimoda diuiſione fidei Chriſtianæ *cap. Quique 7. cauſ. 26. quæſt. 2.* Altera vero dicitur profeſſio expreſſa, & eſt illa, quæ fit expreſsè cum proprio Dæmone, & iſta eſt duplex, vna quæ dicitur ſolennis, ſiue publica: Altera quæ dicitur priuata. Solennis enim & publica eſt illa, quæ fit cũ Dæmone, dũ publicè reſidet in ſolio Maieſtatis, more Principis quãdo fiũt vniuerſales congregationes, omnũi ſtrigarũ & maleficiorum Necromanticorũ cuiuſcunq; generis pro-

feſſorum, certis nocturnis horis, locis & temporibus, Dæmonis arbitrio conſtitutis, vbi vniuerſis aſtantibus fit, iſta profeſſio, quandoq; ijſdem ſolennitatibus, quibus fieri ſolent veræ, & ſolennes profeſſiones Monachorum in Chriſti religione, dum profitentur regulã monaſticam, relinquentes Mundum. Illi vero faciunt contrarium, quia relinquunt primo Deũ Saluatorem abnegantes illius nomen, & Baptiſmum, & poſtea reliqua Sacramenta Eccleſiæ. Deinde adhærent Dæmoni, eidemque perpetuam obedientiam ſpontanea voluntate promittunt, ſuperaddentes etiam Sacramentum, & homagium indubitatum, adeo vt penitus efficiantur Dæmoni ſubiecti, & plus quã vaſalli, & ex tunc cõtrahitur inter hominem, & Dæmonem amicitia quædã, & peſtifera ſocietas, ex qua multa mala, & turpiſſima opera, quæ referre non audeo. *Hæc Paul. Grill. cit. loc.* Cui explicationi, præter alias, conſentit. *R. P. Cornel. à Lapide in d. c. 28. Iſ. v. 15.* ex *Viega. in Apoc. 2. Comment. 4. Sect. 4. n. 5.* quando ait. Cum inferno fecimus prouiſionem dicunt impij ſeu commeatũ, quaſi ſimul nauigaturi, & ad eundem portum appulſuri: venimus in colloquium cum inferno cum eoq; tranſegimus & pepegimus, dicunt Prophetæ multa viſu horrenda eſſe in inferno, nos iam ea vidimus, nec horremus: *Diabolus non eſt tam ater, vt pingitur.* Ita ſagis apparens Dæmon, cum eiſq; ludens, perſuadet eis ſibi benè eſſe, ſe eſſe lætum ac felicem, nec igne inferni multum cruciari, ac proinde ipſas poſt mortem eadem cum ipſo læta ſorte potituras. Quibus meritò intonat Pſaltes. *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* Inuocatis Achzib, id eſt mẽdacium, vti Hæretici preſſi à Catholicis implorant opem Turcarum, ſed poſt victoriam Turca eos ſubigit, eiſque iugum Turcicum imponit, vt Budæ & Hungariæ auorum memoria accidiſſe ſcimus. Hanc pactionem dum perpenderẽ venit mihi in mentẽ feudi ligij de quo *tit. 99. lib. 2. Feud.* formula, cum iuramento ligio, prout deſcribuntur à *Phil. Camer. oper. ſubciſ. ſiue meditat. hiſt. cent. 1. c. 6.* Rex vaſalli ligij, manus vtriuſq; digitis pollicibus apprehẽſis, ſuoſq; intra pollices ijs inſertis, deuinxit illos ſuis, ſtatuitq; ſuper Euangelia. Hic rurſum vaſallus ligius Magiſtro præeunte verba. Ego me inquit cum liberis, ſucceſſoribusq; meis, liberum hominem ſtatuo, dedicoq;, eumque me hic ſiſto. Hæc ter dixit, regios oſculatus eſt pollices, Rexq; ore ſuo, illius os excepit, moxq; comiter appellatũ dimiſit. Hic eſt vſitatus iurandi mos, in verba Regum Neapolitanorũ quiq; ligios eorum ſe faciunt, ipſum hunc ſeruant, Dicti inde Ligij, quod Ligatis Reges pollicibus, illos fidei, imperijſque ſic ſuis deuinciant, atque obnoxios ſtatuant. Non abſimilis implicatio dexterarum, & pollicum olim quoque inter Reges vſitata fuit, quando fœdera exactiſſima inter ſe ſtatuerant, de quâ re habemus exemplum apud *Cornel.*

*Tacit.*

*Tacit.* Mos inquit eſt Regibus, quoties in ſocietatem coëunt, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodosque præſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſa uciatum

Similem huic ritum ferè Sathanas, cum Lamijs fœdus initurus obſeruare ſolet. Eos enim vel cogit proprio ſanguine formulam obligationis mutuæ cóſcribere, vt ait *Camerar. cit. loc. ex Bodini Dæmonomania lib. 2. c. 4.* cuius hæc ſunt verba: Expreſſa autem conuentio modo fit verbis ſine ſcripto, modo ſcriptura confirmatur: cum Sathanas, vt ſuos obſtringat ſibi, (antequam impetrent poſtulata ſua) iubet eos, ſi nouerint, inſtrumentum obligationis conficere, atque ſubſcribere, interdum etiam ipſorum ſanguine prout veteres in ſanciendis coniurationibus, fœderibusque vtebantur. *vt apud Liu. lib. 2.* & apud *Tacitum de Regibus Armeniæ* legimus, ſic ergo cum ſuis experitur Sathanas. Sic Theophilum quendam narratur ſe ita Diabolo obligaſſe, & quidem obligatione ſanguine exarata.

(Aliud exemplum legitur in vita S. Baſilij Magni de ſeruo Protherij, taliter Diabolo, ad conciliandum amorem filiæ ſui Domini ſe obligantis. Quod exemplum latè recenſet *Pierre de Lancre in Tableau De L'inconſtance des Mauais Anges Liure Troiſieſme. Diſcourſ. 1.* qui ibidem plura exempla narrat, quæ breuitatis amore ex propſito omitto.) Quod ſi ab ijs, qui ſe in totum addixerunt Diabolo, vt aliquid conſequantur, ipſe metuerit, vt cultum ſuum deſerant, tunc non ſatis habet, ſi diſertis verbis Deo renunciauerint, ſed notam eis inſuper imprimit. Et ſic ex corporibus eorum in ſignum initi fœderis ſanguinem violenter extrahit, non ſecus, vti ſtriges puerorum ſanguinem ſugere vel per ſe acus, aut vnguis miniſterio, vel opere dæmonis venis apertis, factisque paruis cicatricibus in locis vitalibus & delicatis extrahere, & ſic eos enecare ſolent. De notis autem quod dicimus tam certum eſt, quam quod certiſſimum, & ordinariè Iudicum oculis compertum, niſi in locis abditiſſimis occultentur: vt ex Valeſio quodam Nobili audiui, his inter labia notam eſſe, illis ſub palpebris, alijs in ſede, ſi metuunt retegi, plurimum ad dextrum humerum, fœminis vero ad femur ſub axilla, aut in genitalibus. Cenomannus ille Triſcalanus nomine, quia à præfecto Prætorio damnatus, veniam hac lege impetrauit, vt affines eiuſdem criminis indicaret: cum in populares conuentus ducebatur aut de facie agnoſcebat eos, quos in Sabathiſmis viderat, aut ex alia nota quam ipſi inter ſe nouerant: atque vt dictum confirmaret, ſignatos aiebat eſſe notis, quæ in nudis deprehendi poſſent. Excuſſi itaque illi, quos accuſarat, ſignati de-

pre-

prehendebantur, quaſi veſtigio leporis, ſed exorte ſenſus adeo, vt vel ad oſſa vſque intima, in loco veſtigij punctim percuſſi magi, non perſentiſcerent. Hoc vero mirabilius, quod plerique Magi non ſatis eſſe ducunt, Deo renunciaſſe, niſi ſe iterum in nomine Diaboli baptizari curauerint, & vocari altero nomine. Ex quo fit vt Magis duo ferè ſint nomina. Hactenus Bodinus. Germanicè vti vertit *D. Iohan.* Fiſchardt/ ita ſonat.

Betreffendt dann die außtrückliche vergleichung/ mit dem Sathan/ da begibt ſich dieſelbe zu zeiten allein mit worten/ vnd ſchrifftlich/ zu zeiten/ wann ſich der Sathan beſſer will verſichern/ ſo vermag er bey denen ſo ſchreiben können/ vor allem/ ehe ſie etwas jhres begehrens erlangen/ daß ſie jhme eine verſiegelte/ oder verpetſchirte handtſchrifft geben muſſen/ auch muſſen ſie jhme zuweilen mit jhren eygnem Bludt/ die bekandtnuß vnderſchreiben; Eben wie auch bey der Römer Regiments zeit pflag zugeſchehen/ daß die/ ſo ſich zuſammen verſchworen/ oder in freundtſchafft verlobt hatten/ mit Bludtſchrifften ſolches bekräfftigten/ wie dann dieſes Liuius bezeugt im anderen Buch/ vnnd Tacitus, da er ſchreibt von den Königen in Armenien. Gleichmäſſiger Blütiger Verlobnußſchrifften gebraucht ſich auch der Teuffel gegen ſeiner jhme angeſchworner Rotten. Gleich wie man von einem Theophilo erzehlet/ der auff ebenmäſſige weiſe ſich mit ſeinem eignem Bludt verſchrieben hatte/ &c. Einanders befindt ſich im leben des Heiligen Baſilij Magni. Ein Chriſtlicher Rhats Herr Proterius genandt/ hette eine Tochter/ die hette er jhme vorgenommen/ in ein Cloſter Gott auffzuopffern/ iſt aber ſeiner des Rhats Herrn Diener einer/ vom Teuffel auß Neidt/ vnd mißfallen/ dieſes Heiligen furhabens/ zu vnordentlicher liebe der Tochter/ entzundet worden. Weil er aber ſeinem ſtandt nach/ derer vngleich/ vñ vnwerth/ ſuchet er erſtlich bey einem Schwartzkünſtler/ nachmahlß/ auff anweiſung deſſen/ beim Teuffel vmb hulff an. Der Teuffel ſagt jhme hulff zu/ wo fern er mit eigner Handtſchrifft wolle bekennen/ daß er an jhme glaube/ Chriſto/ vnnd empfangener Tauff abſage/ des Teuffels eigen ſein wolle/ vnd ewige Pein/ ſampt jhme leiden. Deſſen war der Diener zufrieden/ ſchriebe begehrte Handtſchrifft mit eigner Handt/ vnnd vbergab ſie dem Sathan/ ꝛc. Beſich ferner das leben des H. Baſilij Magni, durch Herren Henricum Fabricium Weybiſchoffen zu Speyr am 6. bladt.

Ferner ſagt Bodinus. Wan der Teuffel ein Mißtrawen zu einem/ oder mehr/ die ſich vmb erlangung gewiſſer ſachen/ jhme ewiglich ergeben haben/ bekommen/ vnd ſorget/ ſie möchten jhme den dienſt wiederumb auffkünden/ da iſt er nicht begnügt/ daß er ſie tringt/ Gott mit deutlich/ außgetruckten worten zuverleugnen/ ſonder er ſetzet jnen auch ein Brandtmahl/ oder Brandtzeichen an. Das Brandtmahl belangent/ iſt daſſelbig vnzweiffelich gewiß/ alſo/ daß die Richter gemeinlich jhrer gewahr werden/ ſie ſein dan gar woll verborgen/ wie ich dan ſelbſt/ ſagt Bodinus, an einem vom Adel ſolches wahrgenom-

nommen / es ſeindt etliche / die tragen das Zeichen / oder mahl zwiſchen den Lefftzen / etliche vnder den Augenprauwen / andere ſonſten an wüſten / oder geheimen enden / wan ſie beſorgen / daß ſie möchten offenbahr werden / gemeinlich aber auff der rechten Achſel / vnnd die Weiber vnter der Achſel / oder auff den Geſeß / oder an der Scham. Der jenig / ſo durch den Profoß der Herberg wie man jhnen nennet / iſt zum Todt verurtheilt geweſen / vnnd Trois Eſcheles, oder drey Leiter von Mayne geheiſſen. Alß er auff diß endt / genadt erlangt gehabt / daß er ſeine mitſchuldige / vnnd Geſellen / wan man jhnen zur verſamblung bringen würde / angeben ſolte / da erkandt er alßbaldt dieſelbigen / die er auff dem Sabbath hatte geſehen / oder die ſonſten ein ſonderlich gemärck / welches ſie vnter ſich ſelbſt wiſſen zuerkennen / an jnen hatten / auch ſeinem angeben mehr Glauben zuſchaffen / ſagt er vnuerholen / ſeine Zauberburſch / die einen groſſen hauffen machte / werde / wie ein Herde Viehs / gezeichnet / vnnd das man das Gemärck finde / wan man ſie nackendt außziehe / Man befandt es auch alſo in der that / dan ſie waren gleichſamb mit einen Haſentäplein / gezeichnet / vnnd daßelbe orth war vnempfindtlich: Alſo daß die Zauberer keinen ſtich empfinden / wann man ſie ſchon an den gemärckten endt / biß auffs bein ſolte ſtechen.

Nach iſt diß viel ein frembder handel / daß der mehrertheil Zauberer ſich nit gnügen / Gott zuuerläugnen / ſondere noch darzu ſich ins Teuffels Nahmen wieder Täuffen laſſen / vnnd mit anderen Nahmen benennen / welches dann die vrſach iſt / warumb die Zauberer gemeinlich zween Nahmen haben / ꝛc.

*Idem Bodinus lib. 4. Dæmono. cap.* 4. Quod periuri hominis teſtimonium nunquam admittitur, ad præſumptionem aut indicium conſtituendum, niſi aut teſtis certus, aut præſumptio violentiſſima cum adiuuerit, verbi gratia, ſi comperietur ſignatus Magus, quo indicio Triſcalanus retexit plurimos. Nam à Valleſio quodam nobili viro accepi, quoſdam à Diabolo ſub palpebrarum altera, quoſdam ſub vno ex labijs, quoſdam in podice obſignari. Triſcalanus autem dicebat ſignatis Magis ineſſe quaſi veſtigium leporis, & quamuis ad oſſa vſque indatur acus, locum tamen ſenſus expertem eſſe. Firmiſſima quidem præſumptio hæc, & cum indicijs alijs ſufficiens, vt procedatur ad condemnationem. Daß iſt / Inſonderheit aber wirdt das gezeugnuß eines meyneidigen nimmermehr weder zur præſumption noch etwas anzeigung paſſirt vnd angenommen / es ſey dann ſach / daß entweder ein gewiſſer Zeug / oder ein andere ſehr kräfftige præſumptio jhme behülfflich zuſpringe / Alß wan man einen Zauberer gezeichnet befindet / durch welche anzeigung der mehrberührte groß Hexenmeiſter Treileiter viel ſeines ſchlags Geſindtlein hat wiſſen anzugeben vnd zu offenbahren / Dann Ich habe von einem Edelman auß Valoiß

ver-

vernommen / wie etliche vnter der Augenprauwen einer / etliche vnter der ſeffßten einem / auch etliche im hindern bezeichnet wehren / Aber der Zauberer von den dreyen Letteren ſagt / die gezeichneten Vnholden vnnd Zauberer ſein gleichſamb mit einem Haſentäplein gezeichnet / vnnd rings vmb das zeichen herumb / ſey der orth dermaſſen vnempfindlich / daß ob man ſchon eine Nadel biß auffs Bein hinein ſteckte / ſie es doch nicht fühlen würden / welches zwarn / ſo mans an einem oder einer ſpüret / ſchaffts eine krefftige vermutung / vnnd wo es mit anderen anzeigungen zutrifft / iſts gnugſamb zur verdammung gegen dem begrieffnen zuſchreiten / Hæc ille.

Alterum teſtimonium ſuper ea re eſt *Nicolai Remigij, Sereniß. Ducis Lotharingiæ Conſiliarij & Cognitoris publici, qui lib.* 1. *Dæmonolatr. cap.* 5. experientia edoctus in eundem ſenſum diſcurrit. Dominorum in ſeruos importuna multis modis olim fuiſſe fertur credulitas & ſæuitia: ſed in hoc maximè intolerabilis, quod notis eos compungendos curabant, vt haberent, quod fugam, ſi in quam ſe fortè darent, comitaretur, ac deprehenſioni magis, obnoxios redderet. His adeò barbaræ atque inhumanæ ſeruitutis veluti teſſeris inuſtos, ac inſignitos etiam hodie habet Diabolus, quos recens ſibi addixit, præcipueque (aiunt nonnulli) ea in parte corporis, quæ à Sacrorum Antiſtite in die cuiuſq; initiali Chriſmate fuit delibuta: vti fures abacti pecoris ſigna, ſuis impreſſis immutare ſolent. Quæ ratio ſicuti parum probabilis mihi videtur (nam & ea quæ Antiſtes nihil attigit, ſæpius vnguibus ſuis fœdant, atque inquinant, quemadmodum poſt dicetur) Ità non facilè ipſorum ſententiæ acceſſerim, qui negant abolendis baptiſmi monumentis, notas eiuſmodi quaſi contrarium ſymbolum adhiberi: Fruſtra enim (inquiunt) expungi è corpore is Character tentatur, qui penitus hæret in anima, cum eadem ratione ſuperfluum dici poſſet in baptiſmo aquam corpori ſuperinijcere, qua tamen animi lues interior elui denotatur. Certè vtut res ſit iam nihil ea dubitationis habere poteſt: poſtquam non modo, qui eam ſuo damno experti ſunt diuerſi diuerſis locis, atque temporibus eandem referunt: ſed etiam ijs indicijs comprobant, quæ ſint oculis manifeſta, dum veſtigia oſtendunt, & rei nouitate prodigioſa, cum ſine doloris vllo ſenſu, vulnus ea parte, quæ ſic vngue Dæmonis eſt exarata, (Communiter illã Lamiæ in Confeſſionibus ſuis lingua Vbiorum, ein Teuffelskratz vocant) penitus admittunt. Alexia Belhoria 1. Nicolæa Morelia. 2. & Ioanna Gerardina. 3. Concorditer declarauerunt, ſe illud perfidiæ ſuæ ſymbolum in ſumma fronte inuſtum habere. Quirina Xallæa. 4. in Occipite: Claudia Fellæa 5. in pectore, & à tergo: Dominica Euræa 6. in coxa: Iana Nigra 7. in dextro: Iaquelina Xalueta 8. in ſiniſtro humero. Atque eiuſmodi veſtigia in illo ipſo, quo à fide defecerunt

 tem-

temporis momento, ſibi à Dæmone inſcripta fuiſſe. Et quod magis mirum videri poſſit, totus ille locus ita exanguis eſt, ac ſenſu labefactatus, vt ne admiſſa quidem acus altiſſimè, aut dolorem faciat, aut ſanguinis minimum eliciat. Idque ita iam pro comperto habent rerum capitalium vindices, vt inde quæſtionis ac tormentorum ſæpè initium faciant. Quod non & ita pridem Spinalij re fuit iam probatum. Nam cum Iſabella Pardæa. 9. ibi ob ſortilegij crimen comprehenſa, vrbis præfecto partem corporis ſic à Dæmone inſcriptam indicaſſet, ſubijt ei in animum, experiri, verumne id eſſet, quod de eiuſmodi ſtupore ferebatur. Ergo iuſſit in eam aciculam penitiſſimè infigi, atque inculcari. Quod cum in ſatis magna hominum frequentia eſſet factum, & incruentum omninò vulnus apparuit, & nullum ſaga doloris, vel minimi indicium adſpicientibus dedit. Rurſus Brindiſij, ibi Claudia Bogarta 10. tormentis iam exhibenda, ad cutem vt moris eſt, detonſa fuerat, ob idque cicatricem nudam in ſumma fronte oſtendebat. Suſpicatus igitur Quæſtor quod verè erat, ſcilicet impreſſi à Dæmone vnguis veſtigium, quod antè capillis tegeretur, in id iubet aciculam altiſſimè infigi: Quod cum eſſet factum, nec illa doloris vllo ſenſu affici, nec vulnus, vel tantillum cruore manare viſum eſt. Perſtitit tamen verum negare, ac dicere eum olim ex iactu lapidis torporem eſſe obductum. Sed poſtmodum tormentis admota, non tantum agnouit, id ſibi à Dæmone inflictum fuiſſe ſed & plurima alia, quæ indigniſſimè ab eo paſſa fuerat, enumerauit. Nouiſſimè 11. & Eſſæi, qui pagus ab hac vrbe milliario abeſt, (inquit Remigius) cum hoc loci Dynaſta præſens in Mugeta ſortilegij rea lictorem periclitari iuſſiſſet, ac is illam idcirco nudam ſtatuiſſet, inueſtigaturus ſicubi teſſeram illam reperiret, tandem in ſiniſtro femine macula verrucæ inſtar apparuit, in quam cum ferrum, vel quantum poterat adegiſſet, nec à Mugeta vocem, nec ab ipſo vulnere ſanguinis guttam vllam elicere atque exprimere potuit: Cum rurſus locum maculæ proximum leuiter etiam vulneraſſet ingentem ea ex dolore clamorem edidit, largus cruor ſeſe inde effudit.

Idem *Remigius lib. 2. Dæmonolatr. cap. 2. pag. mihi, 192.* demonſtraturus luem iſtam ſortilegij ſæpè in liberos ipſa parentum labefactione demanare, refert, quod Dominica Falluæa, cum iuncos religandæ viti vnà cum matre diuelleret, ac humi iacentes ſe, vt fit, à labore recrearent: cœpit poſt aliquot ſermones illam mater monere, ne ad vllius rei adſpectum formidaret, ſi quæ ſe forte inſolentior oſtendiſſet: nihil enim ab illa futurum periculi. At cum hæc dixiſſet, momento adſtitiſſe humana forma aliquid, quod adſpicientibus appareret calceario homini ſimile, erat enim incinctus ventrali ſparſim pice contaminato, à quo tandem, cum eſ-

ſet

ſet in eius verba iureiurando adacta, ac in nouæ militiæ ſignum iniecto in frontem vngue notata, tandem eſt compreſſa, ipſa vidente matre, quæ & viciſsim ſe illi ſtuprandam præbuit præſente ſe filia; Hactenus *Remigius.*

Simile teſtimonium tertio præbet *Lambert. Dan. Dialog. de Sortiar. c. 4.* his verbis. Hæc ferè prima eſt contractus inter eos ineundi ratio. Sathan primo loco hoc ab iſtis exigit, vt planè liberè & apertè, vero Deo rerum omnium Creatori, & cæli abyſsique Domino renuncient, ſibique ſeruiant qui ſe tunc diſsimulanter Sathanam eſſe profitetur. Itaque in poſterum ab ipſius nutu & voluntate pendeant, auxilioque innitantur. Quæ veri Dei abnegatio & ſceleſtiſsima abiuratio eſt primus iſtorum execrandorum hominum Sathanæ conciliandorum gradus & ingreſſus, primaque iſtius negotij ſtipulatio. Hoc modo & tam fœdo in eius mancipium receptis iſtis, Sathan iam notam imprimit, vel dentibus, vel manu, & liberè quemquam effari iubet, quid à ſe fieri expetat, docetque tutiſsimas & occultiſsimas ſui vlciſcendi, ſi quos oderunt, vias, &c.

Imò *Idem Eod. Capite* paulo ſuperius, hæc verba audacter refert: Hoc enim verè tibi affirmarim, nullum non ſortiarium cum Sathana fœdus & commercium inijſſe, ſeque illi deuouiſſe. In cuius ſuæ addictionis fidem notam à Sathana inuſtam & impreſſam aliqua corporis ſui parte geſtant illi, alij quidem ſub oculorum palpebra, alij inter nates ipſas, alij in oris palato, vt ea ratione illa ſit occulta & ignota. Quanquam autem quidam velint non omnes Sortiarios eſſe aliquo ſtigmate à Sathana notatos, & compunctos, ſed eos tantum de quibus ipſe dubitat: quos aut ſibi fidos ducit, eos abſque nota relinqui: Certius tamen veriuſque dixerim, neminem ex illis eſſe, cui non impreſſerit ſui in eum iuris & poteſtatis aliquod indicium & veſtigium. Quod vt facilè agnoſcant rerum capitalium & huiuſmodi ſcelerum iudices, id imprimis curant, poſtquam iſti capti fuerunt, vt toto corpore tondeantur, nouaculaque abradantur, ne fortè ſub pilo corporis celetur hoc ſtigma. Pactum igitur cum Sathana contraxerunt, viciſsimque ſtipulati conſenſerunt. Sathan quidem, vt illi pro Deo ſe in poſterum agnoſcant, & colant: Illi autem, vt eos Sathan iuuet, & inuocatus adſit. Itaque ex pacto Sathan ijs ſuccurrit, & ad eorum preces & vota agit: ipſi viciſsim eius monitis parent, atque obſequuntur. Hactenus *Danæus.*

Quartò prioribus authoribus aſſenſum in eodem hoc themate adhibet *Thomas Eraſtus. in diſputatione de Lamijs. pag. mihi, 523.* his verbis. Cæterum vt eſſe magis noris, ſignum corporibus earum, poſt manuum ſtipulationem oſcula & amplexus, imprimit, modò in vna, modo in alia parte (in quod ſine ſenſu illarum vel integram acum, aut ferrum aliquod



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

acutum abſcondere valeas) vt eo ipſo, ceu Sacramento ipſos ſibi deuin-
ciat. Quanquam non nego vnam non eſſe notam pacti ſeu fœderis vbi-
que & in omnibus, libenter enim variat, vt facilius decipiat. Omnes ni-
hilominis vno conſenſu, quocunq; loco & tempore interrogentur: hoc
ipsũ confitentur. Tametſi capitale ſibi fore prouideant. Hucuſq; *Eraſtus.*

Quintò non abſimilia narrat. *Petr. Gregor. Tholoſ. in Syntagm. iur. vni-
uerſi. lib. 34. cap. 21. n. 10.* quando ait. Erubeſcerem certè hoc dicere, ni
me exempla firmarent, quæ in oculis omnium in Gallia ſunt. Nam &
Tholoſæ hoc anno 1577. tot maleficæ & ſortilegæ in ſenatu vndique reæ
peractæ ſunt, vt omnium reorum, qui à duobus annis ante fuerunt, quo-
rumcunque criminum numerum ſuperarent, & maleficiorum cumulo
vincerent, ferè plus, quam quadringentæ, quarum pars Vulcano ſacratæ,
aliæ alijs tormentis ſublatæ, vel emendatæ. Et quod mirum eſt, omnes
ferè à Diabolo notam inuſtam certo loco habebant: prodiderúntque
execrabilia plura & impia, &c. In eandem ſententiam, ita quoque *Pe-
trus Erodius. lib. 5. rerum iudicatarum tit. de malefic. 11. Edit. 2.* Nuper exti-
tere apud Valenſes & Cenomanos vicinos noſtratum Andium, qui ex
hoc maleficio damnati ſunt, & quos in tormentis audio confeſſos, ſe
ſacris (quæ Sabbatha vocant) rituatim initiari, tum Chriſtianiſmum ab-
iurare, & profiteri Paganiſmum: deinde à tergo notari ſignis, &c.

Sextò; Quid *Martinus Del-Rio* de hiſce ſtigmatibus ſentiat, tu, LECTOR
BENEVOLE, ex verbis eius, quæ ex *lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 21. pag.
mihi, 103.* adſcribam, collige & iudica: qui ſic ait. Similem Dæmonis ope-
rationem cernere eſt, in ſtigmatum illa teſſara, quam Diabolus imprimit
ſtrigibus: quæ ſic ſenſu deſtituitur, vt nec acus longiſſimæ fixura dolo-
rẽ minimum adferat, neq; ſanguinẽ eliciat: Et paulò poſt, *Claud. Charond.
lib. iam laudato no. 1.* Scribit ſtigma famoſæ illius ſagæ, cui nomen Baya-
zonne, in humero ſiniſtro valdè latens, & imperfectiſsimè delineatũ de-
narij tamen magnitudine, quaſi à centro ductis filamentis ad periphe-
riam, prorſus omnis expers ſenſus fuiſſe. Suſpicio etiam me tenet, illud
gemini carbonis ſignum in Allobrogis fœminæ pedibus ſtigma fuiſſe.
Solent huius ſigni variæ eſſe figuræ, veſtigij leporini, manus bufoniæ,
catelli nigri, quale ſignum viſebatur in tergo *Ioan. de Vaulx Stabulenſis*, in
quo illud ſingulare. *Pet. Oranus* Quæſitor negotij obſeruauit, ſi acu, vel
graphio profundius adacto perforares, nullum doloris ſenſum reus per-
cipiebat, nec quicquam querebatur, ſi verò à tergo, ita vt videre ipſe ne-
quiret, eminꝰ ſigno illius catelli minareris digito erecto, tanquã ſi acriter
torqueretur, reũ ſubitò torqueri ſolitũ Huius rei cauſam phyſicã non in-
uenio, moralẽ hanc ſuſpicor, contẽptu indoluiſſe Dæmonẽ ſuperbiſſi-
mum, & ſic irritatum ſæuiſſe in mancipij ſui cruciatum. *Sic Del-Rio. cit. loc.*

Septimò, *Matthias Berlich. in part. 3. Concluſ. Practicab. 4. n. 153.* inter cõ-
iecturas, præſumptiones, argumenta ac euidentiora indicia ad torturam

Faci-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facientia refert, Si nota inuſta inueniatur, & quis ſignatus deprehendi-
tur, eamq; *n. 154. ſeq.* eò facilius ait à iudice cognoſci, quia vt plurimum
habet ſignum, ſeu veſtigium leporis, & locus ille, vbi nota inuſta eſt,
prorſus ſenſus expers eſt, vt quamuis acus ad oſſa vſque indatur, tamen
venefica nullum omninò dolorem ſentiat, nec ſanguis ex eo fluat.

Sed avdiamvs Octauò omnium in hac re ferè expertiſſimum In-
quiſitorem *Petrum de L' Ancre in lib. 3. Diſcurſ. 2.*

## Von den Merck- vnnd Kennzeichen der Zauberer/ auß dem dritten/ Buch/ der zweiter Diſcurs.

ETliche vermeinen/ daß die Brandtzeichen/ welche / in vieler Perſoh-
nen Leiber/ vnd zwarn durch alle alter | ſich eingedruckt befinden / auß
ſtarcker einbildung/ dero Schwangeren Weiber / oder ſonſt anderen
Kranckheiten herrühren: ſelbiges zubefeſtigen/ ſchöpffen ſie vrſach auß
des Galeni, vnnd Fernelij meinungen / welche vorgeben / das ſie vormahls/
etliche mit dergleichen Merckzeichen bezeichnete Krancken/ wie dann auch
Schwangere Weiber/ ſo bey tragender jhrer Weiblicher Bürden / ſich etwan
an einem oder anderen dinge gern beluſtigen wollen/ bey deſſen entſtehung/ jh-
rer Leibsfrucht/ einige dergleichen flecken/ vber zuuerſicht zugezogen / geſehen
haben: welchen gleichwoll meines erachtens/ jhr gantzes Lebenlang / nur drey
deroſelben exempel vorkommen.

Vnter der Zauberern vnd Zauberinnen von Laburt werden mehr/ als drey
tauſent bezeichnete/ welche faſt alle Kindern ſein befunden/ zugeſchweigen de-
rer/ welche vnzahlbar/ ſo ſelbſt zum Sabbath ſich begeben / deren meiſter theil
niemahln Kranck geweſen / alſo/ daß ichs gentzlich dafür halte/ das die zeichen/
welche der leidige Sathan/ ſeinen Schlauen eindruckt / eine ſtarcke / vnd redt-
liche anzeige ſein/ die bezeichnete / der Zauberey halben zubezichtigen vnd deß-
wegen zu rede zuſtellen: Geſtalt auch die jenige / welche gleich vns / dem pein-
lichen Verhöer beygewohnet/ vnd die Richterliche ſtelle vertretten haben/ dero
meinung ſein/ daß man krafft ſo thaner ſtarcker præſumption / oder vermuh-
tung gegen die damit behaffte Perſonen / dafern nur einige andere indicien
vnd anzeige mit zutreffen/ biß zu deren condemnation vnd vervrtheilung zum
Fewr / zuläſſiger weiſe/ vort ſchreiten möge.

Darumb dann billich/ zuwiſſen/ vnd anzumercken / was wir durch vnſere
ſelbſt eigene erfahrung / bey dergleichen Peinlichen verhör/ erlernet haben.

Maria von Ralde / einwohnerin von Siboro, jhres alters 28. jahr / hat
außgeſaat/ daß ſie vielmahl / ein glüendes Eiſen/ zu den Kinderen welche dem
leidigen Sathan/ durch die vnholden auffgeopffert worden/ zur zeit ſelbiger ab-
ſchewlicher præſentation zunahen geſehen; ob aber er ſelbſten die jme præſen-
tirte Kindere damit Gebrandtzeichnet / oder ob er ſolches/ durch die Zauberer/
welche die Kinder herzugeführet/ verrichten laſſen / deſſen einige wiſſenſchafft
zutragen / hat ſie ſich entſchlagen / das ſonſten der Sathan zuweiln ſo ha-
nes Brandtzeichnen / ſelbſten zuverrichten auff ſich genommen / zu zeuen/
Durch

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

durch die Zauberinnen beſchehen laſſen/ ſolches haben wir auß anderer kündtſchafft/ die es ſelbſt geſehen/ anderwerths erfahren.

Zwarn mich bedüncket/ vnd es läſſet ſich dem euſſerlichen ſchein nach/ nicht anders anſehen/ alß daß der leidige Sathan/ mit dieſen ſeinen Merckzeichen/ vnſern lieben Gott vnnd Herrn/ ſo viel an jhne/ nachaffen wolle/ geſtalt derſelbe bißweilen/ etlichen Heiligen Perſohnen ſeinen allerliebſten dieneren angeſehen dieſelben auß lauter Himmeliſcher Liebe einen theil ſeines leidens/ es ſey mit Caſteyung jhrer Leiber/ reinigung der Seelen/ geduldt in angſt vnnd ſchmertzen/ veſten Glauben/ mitgelitten/ ſeines Heiligen Leidens Mahlzeichen/ eingedrucket/ vnnd eingegraben hat. Dann durch ein ſolches mittel/ ſuchet er ſonderlich GOtt dem Allmächtigen ſich zuvergleichen/ wie Tertullianus ſagt/ Ipſas quoque res diuinorum myſteriorum æmulatur: Vnnd wie GOtt der Allmächtig im alten Teſtament die ſeinige mit dem zeichen des Bundts/ nemblich der Beſchneidung (welchem das zeichen des H. Creutzes im H. Euangeliſchen Geſetz gefolget iſt) bezeichnete; Alſo vnderſtehet der Verderber des Menſchlichen Geſchlechts ſeine Vnderthanen auff ſonderbare weiſe anzumercken/ vnnd als ſein eigenthumb zu vnderſcheiden. In maſſen vorzeiten/ die Carpocratianer, Alte Ketzer vnnd Zauberer/ jhre Diſcipulen/ mit einem heiſſen Eyſen/ vnder dem rechten Ohr anbrandten/ vnnd Merckzeichneten; Im Irenæo, Epiphanio, vñ Tertulliano, wirdt von einer anderer gattung/ des Sathans Leibeignen/ welche er Täuffte vnnd an der Stirn Mahlzeichnete/ meldung gethan; Mit dieſen worten/ Tingit & ipſe quoſdã credentes, & fideles ſuos, expiationes delictorum de lauacro promittit, & ſic initiat, mitræ, ſignat adhuc in fronte milites ſuos; Ebenmeſſiges Affenſpiel/ iſt geweſen/ dauon Juſtinus meldet/ wan hiebevor ein orth/ vnd euſſerliche geſtalt einer vermeinter Tauff im Tempel der Teuffelen im ſchwang geweſen: Alſo auch die alte Herrſchafft bey dem Römeren/ bezeichnete jhre Leibeigne/ wie dann auch die Römiſche Käyſere jhre Soldaten vnd Kriegsleute: vnd nach heutiges tags die jenigen/ welche dem gebiedt/ des Prieſter Johans vndergehörig/ tragen ein Creutz mit einem glůenden Eyſen gelindt auff jhre Haut eingezeichnet/ gleiche beſchaffenheit hat es auch heutiges tages mit den Iacobiteren. Simon der Zauber/ wie Beda bezeugt/ hatt eine beſondere arth einer tonſur, vmb die ſeinige zuverzeichnen/ erfunden. Es iſt vorwahr der Sathan/ ein wahrer Affe Gottes/ wiewol ſeine imitation zumahln vnvolkommen iſt: Dann Gott der Herr/ gibt den ſeinigen/ dieſelbſte Wunden/ welche die fünff Nägele/ in ſeinen Koſtbarlichen Gliedern durchgraben vnd eingedruckt haben/ will auch daß dieſelbige an denẽ ſichtbarlich ſein ſollen/ damit die Heilige Seele/ durch ein ſo wurdiges Exempel/ zu ſo groſſem verdienſt/ vnd trewhertziger vergeltung/ auffgemůntert/ vnd angetriben werden möge/ An ſtatt daß der leidige Sathan/ ſeine abſchewliche Helliſche Kennzeichen/ gantz

heimblich

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Præterea numquam reperitur Caro naturaliter mortua in tam exigua quantitate, vt eſt ſtigma Diabolicum, quoniam vix piſi latitudinem excedit. Denique quia caro naturaliter mortua ſenſu perceptibilis eſt, non omnia autẽ ſtigmata Diaboli ſunt perceptibilia & ſtigmata viſibilia maius ſpaciũ vendicant, quã nõ viſibilia, vt patet in Principe Magiæ Ludouico.

Propoſitio 3. Dicit etiam, quod caro exanguis ita conditionata non poterat à Melancholia procedere, neque etiam lepræ habere rationem neque maculæ naturalis 1. Quia leproſi habent carnem fætidam & putrefactam, nec gaudent proſpera valetudine: ſed in corpore habentium huiuſmodi ſtigmata, nihil fœtoris neque putredinis apparet, ſunt etiam ſani & optimè diſpoſiti, ergo non habent rationem lepræ, vel erit lepra hactenus inaudita, & hominibus incognita 2. Quoniam maculæ naturales non ſunt ſine ſenſu nec exangues, vt eſt ſtigma Diabolicum 3. Quia plures ſunt & reperiuntur Melancholici, in quibus nihil huiuſmodi reperiri poſſit, oporteret autem omnes Melancholicos notas circumferre ſi hæc ex Melancholia dimanarent.

Pro-

Propoſitio 4. Dicit etiam quod caro mortificata cum conditionibus ſupradictis poſſit abſque periculo ſuperſtitionis aut erroris pro ſtigmate Diabolico iudicari: quoniam ita cenſebunt antiquiores DD. quoniam ſententia traditione ad hæc vſque tempora peruenit, & ab immemoria; fuit ſemper experientia teſte verificata; ita quod nunquã aliquis habuiſſet carnẽ hoc modo exanguem & inſenſibilem & poſtmodum conſtiterit de ipſorũ innocentia. Ex quibus duo inferebat, 1. Quod Diabolus mortificat carnẽ aliquorũ qui ſunt ei ab obſequio, & ꝙ nõ alia nota demõſtrat quod ſint eius mancipia, quam per hoc quod reddit carnem horum mortuam 2. non eſt temerarium propter huiuſmodi indicium aliquem iudicare magum, nam ſi antiquiores ſuper hoc proceſſerunt indicio contra male ficos multò confidentius poſſunt moderni.

Propoſitio 5. Dicit etiam quod nemo poſſit adducere vel vnum quidem qui habuiſſet huiuſmodi ſtigmata in corpore & inculpatæ vitæ iudicium tuliſſet, atque adeo quod propter huiuſmodi indicium non eſt æſtimandum periclitari honorem aut vitam alicuius innocentis, quoniam fieri nõ poteſt vt huiuſmodi notę reperiãtur in corpore alicuiꝰ innocẽtis.

Propoſitio 6. Dicit etiam quod non ſolum eſt cõmunis opinio DD. quod omnes Malefici huiuſmodi ſtigmata habeant, verum quod non inueniretur aliquis author qui produxiſſet aliquem de Magia conuictum & non huiuſmodi nota inſignitum. Quoniam Maleficus non eſt magis abſq; huiuſmodi ſtigmate, quã Chriſtianus abſq; charactere Baptiſmatis.

Propoſitio 7. Dicit etiam quod nonnulli plus ponderant ſtigmata, alij accuſationes ad fundandum iudicium de crimine Magiæ, & hoc iuxta ſententiam cuiuſcunque? Verum tamen ſtigmata ſupra dicta ſunt indicia magis infallibilia, quoniam qui accuſant non poſſunt imprimere ſtigmata: ſed neque Diabolus habet poteſtatem imprimendi alicui ſtigma, qui non ſit de congregatione Magorũ: Accuſatio verò poteſt aliquando procedere ex inuidia, ſiue ex errore, eò quod vnum pro alio accepiſſet. Signum quoq; huius eſt, quod penè omnes certificari cupientes de perſona aliqua ſuſpecta de hoc crimine. Primum quod quærunt, eſt, an habeat ſtigma, ſitne inuentum. Ex quo inferebat, quod eſſet indicium indiciorum, & ipſa Confeſſione infallibilius. Quoniam ſi quis confiteatur ſe Magum, & non poſſit in corpore ſuo oſtendere huiuſmodi ſtigmata, non eſſet ei credendum, niſi aliunde etiam indicia haberentur eius quitiæ. Præterea quoniam Confeſſio poteſt eſſe ſine alijs indicijs, eò quod non inueſtigabuntur ſtigmata in corpore alicuius qui non accuſatur ab alio. Qui verò accuſant, oportet eos probare accuſationem ſuam, vt ſecundum allegata procedatur ad inquiſitionem vlteriorem.

Propoſitio 8. Dicet vlterius friuolum eſſe, quod Diabolus ſolummodò imprimeret ſtigma ſuum his quos putaret minus conſtantes fore in ſuo obſequio 1. Quia omnes conſtantiſſimos habet, & magis quã Chriſtiani ſunt in obſequio ſui Dei. 2. Quia ſtigma non imprimitur ad hoc vt ſuos reddat conſtantiores, ſed vt diſcernat Magos à reliquis.

Propoſitio 9. Dicit vlterius, quod ſicut Diabolus non poteſt aliquem notare ſuo charactere qui non ſit Magus, ita non poteſt eſſe aliquis Magus & non habere characterem, quoniam in eo eleuatur contra Deum. Ex quibus conſequens eſſe dicebat, quod ſi minores haberent huiuſmodi ſtigmata multo magis Principes & capita Magiæ.

Propoſitio 10. Dicit etiam quod licet omnes eſſent membra Diaboli, quotquot eſſent extra Eccleſiam, Diabolum tamen peccatores communes, aut infideles aut hæreticos non notare, ſed tantum Magos. 1. Quia præ cæteris Diabolo chariores ſunt & ſigna honoris ſunt, decet autem huiuſmodi honorare chariores. 2. Quia ſtigma datur quaſi nota perpetuæ ſeruitutis & arctiſſimæ confœderationis atque ſocietatis. Sunt autem præ cæteris Magi mancipia Diaboli, & cum ipſo contra Deum confœderati; tum quia alij infideles putant ſe adorare Deum, quem Magi de propoſito blaſphemant, tum quia non committunt nephanda crimina Magorum, tum quia Magi amplius ſunt ſub poteſtate Diaboli extra gratiam conſtituti, propter ſacrilegia quæ committunt & maleficia quæ exercent contra creaturas & alias abominationes.

Propoſitio 11. Dicit quod neceſſe eſt reuera & præſentialiter interfuiſſe congregationi Magorum quicunque habet huiuſmodi ſtigmata in corpore ſuo. Quoniam licet Diabolus huiuſmodi poſſet imprimere extra Sabbatha ſua, non tamen conſueuit propter quaſdam ſolennitates quas adhibet, quæ difficile eſſet practicare extra Sabbatha ſua, quoniam imprimit illa coram venerabili Sacramento cum abrenunciatione quæ fit intra manus Principis Dæmonum ſedentis in throno ſuo.

Propoſitio 12. Dicit vlterius quod ſicut primum ſtigma eſt indicium ad oſtendendum, quod aliquis commiſit crimina Synagogæ, quoniam non imprimitur nota huiuſmodi primo die quo quis defertur ad congregationem, verum poſt commiſſa ſcelera conſueta noſtræ congregationis, ita quoque reiteratio ſtigmatum eſt indicium reiteraſſe peccata ſupradicta, & quidem illo ipſo die quo ſunt impreſſa, quoniam dantur in præmium. Vnde ſicuti renouatio eſt indicium, quia renouarunt delictum conſuetum, ita etiam eorundem ſtigmatum multiplicatio eſt ſignum præeminentiæ & gradus in Synagoga; Quoniam in quantum aliquis amplius peccat, in tantum plura recipit. Quantò autem quis malitiæ excedit, tanto inter Magos honoratiorem gradum capit. Deinde quia

in Synagoga vocantur ſtigmata inſignia dignitatis & ornamenta. Congruit autem in huiuſmodi digniores præire reliquis.

Propoſitio 13. Dicit etiam vlterius quod Diabolus quanquam vellet non poſſet al quem ſignare ſuo Charactere, qui non eſſet, in Synagoga ſua 1. Quoniam Deus amplius curam gerit de filijs ſuis quam pater aliquis, aut Rex Optimus de ſubditis, aut Villicus de pecore ſuo. Si ergo Villicus non permittet pecus ſuum aliena nota inſigniri, neque Rex Vaſallum ſuum accipere inſigne inimicorum ſuorum, multo minus Deus permittet. Quia ſi Diabolus haberet illam poteſtatem, certè ipſe huiuſmodi ſtigmata imprimeret Iudicibus & maximè probis, vt per huiuſmodi redderet infames & ſuſpectos. & ſic Deus in periculum duceret vitam & honorem innocentum, quod eſt contra eius bonitatem.

Deinde quia ſi Deus permitteret Diabolo vt indifferenter daret ſtigmata ſua quibuſuis etiam iuſtis: vtique Deus videretur Author falſitatis. In quantum ſtigma in corpore vnius Innocentis eſſet falſum ſtigma 1. Quia non poteſt aliquis habere innocentiam & interfuiſſe Synagogæ: præſupponit enim conſenſum & pactũ, & nemo poteſt ferre ſtigma, & non interfuiſſe Synagogæ, vti dictum eſt. Deinde nemo poteſt eſſe innocens & commiſiſſe peccata Synagogæ: nemo verò poteſt ferre huiuſmodi indicia, & non commiſiſſe illa peccata.

Præterea ſi Deus permitteret Diabolo, innocenti imprimere ſuum ſtigma, ipſe propriam poſſeſſionem traderet in manus inimici, & animas pro quibus ſanguinem ſuum fudit, & daret inimico occaſionem ſuperbiendi ſe contra eum; nam ſtigma eſt ſignum ſeruitutis permanentis, & quod quis eſt mancipium Diaboli, & multò quidem arctiore ſeruitute quàm reliqui peccatores, qui non tradiderunt ſe Diabolo in poſſeſſionem permanentem & hæreditatem, quod faciunt Magi & Magæ vnde fit vt difficillimè huiuſmodi inter peccatores omnes conuertantur.

Propoſitio 14. Dicit vlterius Binsfeldium vnum atque Del-Rio non poſſe præiudicare ſuis opinionibus antiquioribus DD. quoniam duo tantum ſunt, & ſic non poſſunt præualere contra reliquos, qui plus doctrina valuerunt: accedit quod aliorum doctrina conformis ſit depoſitionibus Magorum & Magarum, qui dicunt quod omnes de Synagoga habeant Diaboli ſtigma, quorum depoſitionibus tribuendum amplius; apparet ex eo quod cum experimento loquantur, quod non habuerunt dicti DD. qui quoniam de rebus ignotis ſibi loquebantur ex proprio iudicio, hinc factum eſt quod multa friuola nugatoria dixerunt de huiuſmodi.

(***)

*Refutatio Binsfeldij circa doctrinam ſtigmatum per Mariam de Sains.*

Dicit *Binsfeldius* Principes Magiæ non habere ſtigma Diabolicum. Dico ego eſſe Mendacium, inquit Maria de Sains. Quia ſi qui de Congregatione non haberent huiuſmodi ſtigmata, inferiores potius non haberent, quam ſuperiores, eò quod Diabolus dat huiuſmodi, vt inſignia honoris, & præmium nefandorum operum; vnde tantum plus ſignantur, quantum amplius committunt de flagitijs huiuſmodi. Deinde experientia oppoſitum docet in Magdalena, Ludouico, Dicit rurſum *Binſfeldius* huiuſmodi indicium non eſſe magni faciendum, eò quod aliquis poſſit de facili decipi vel decipere per huiuſmodi ſtigmata, vt puta putando vel fingendo eſſe ſtigma quod non eſt.

Reſpondeo ego Maria, quod ex parte ſtigmatis nullum eſt periculum deceptionis, in quantum ſtigma multum diſcrepat à carne exangui & inſenſibili ſiue naturaliter, ſiue vi morbi, vt ſupra dictum eſt. Ex quibus conſequens, ſi aliquis non poteſt decipi circa Indicium ſtigmatis, similiter neque alium decipere poterit, quoniam alius eadem habebit ſigna certitudinis per quæ, & ratione quorum iudicare poterit.

Præterea ſi huiuſmodi ſtigmatibus ſubeſſe poteſt deceptio & fallacia, quod quæſo aliud indicium quęret, vt certificetur de huiuſmodi flagitio, nam huiuſmodi ſi ſit fallax etiam accuſationibus non innitendum eſt, neq; proprijs Confeſſionibus, quoniam his magis infallibile, vt dictũ eſt.

Dicit rurſum Binsfeldius huiuſmodi indicium non magni faciendum, quoniam nullo patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſſe præſumendum.

Dico ego Maria, quod DD. traditio eſt, quæ de manu ad manum ad hæc tempora peruenit, & apud tribunalia, parlamenta & inquiſitores in praxi obtinuit, adeò vt certificari cupientes ſtigmata requiſierint: quibus inuentis tum ceſſabant dubitare, vnde nec nouum commentum eſt, nec quid ſuperſtitioſum, vt probatio aquæ frigidæ, neque temerarium eſt ſuper hoc indicio iudicem procedere vt dictum eſt. Quoniam hoc indiciũ ſolitarium numquam eſt, ſed habet comites alia indicia. Deinde qui volũt dicere huiuſmodi ſtigmata, non eſſe indicia infallibilia, oportet probare ſuum adſertum & adducere in medium aliud infallibile ad dignoſcendum vnum Magum: Quia neceſſarium eſt aliquid admittere, vt dignoſci poſſint; ſi enim nullum eſſet ſignum infallibile, & peccata ipſorum ſecreta ſunt, & ipſi pertinaciſſimi in ſuis negationibus nõ poſſent dignoſci certitudinaliter, & ſic malum creſceret in infinitum, & præiudicium boni communis; neque ſatis videretur iudicibus prouiſum ad hoc vt malum cum ſecuritate conſcientiæ tollerent.

Dicit *Binsfeldius* quod Dæmon ſi cognoſceret ſuos ex tali ſigno dignoſci, non imprimerent. Adhoc ego Maria reſpondeo. Quod Diabolus

eſt nimium ſuperbus quod hoc vellet prætermittere,& non eis imprimere ſuum Characterem, quia in hoc inflatur aduerſus Deum: Deindè non prodit ſuos ex hoc,quod imprimat ſuum characterem,quoniam nõ ſunt ſtigmata reperibilia in corpore Magorum niſi deſignentur, eò quod dat illa multò minora quam conſueuerat, proderet autem ſuos,ſi daret tam grandia, vt dicit Author Del-Rio.

Sed friuolum eſt dicere quod Diabolus dat ſtigmata ſua ſub ſimilitudine veſtig*j* leporis; experimentum ſumant in quibuſuis maleficis, & videant, ſi ſimile quid inuenire valeant.

Triſculanus autem ludebat eos quibus loquebatur, imo vero Diabolo inſtigante hæc deponebat, quia ſi reperienda forent ſimilia ſtigmata, nunquam deprehenderentur Magi, eò quod nunquam huiuſmodi ſtigmata reperirentur.

Quod autem Del-Rio dicit ſtigmata Diabolum in maleficis exprimere ad ſimilitudinem Bufonis, Araneæ, Gliris aut Canis,id ex proprio ingenio finxit, quoniam nuſquam ſcriptum reperitur, aut quis DD. vmquam docuit, quod talia ſtigmata Diabolus vmquam impreſſerit.

Dicit etiam Binsfeldius & Del-Rio quod Diabolus deleat aliquando huiuſmodi ſtigmata, Bodini referens exempla, in quibus poſtero die poſt deprehenſionem ſigni fuit nota deleta. Reſpondet Maria, quod poteſt quidem occultare, Deo permittente ſed non poteſt vlla ratione delere, & nunquã poſſunt deleri abſque miraculo, vt cõtigit in Magdalena, quia mortificare carnem à ſeipſo poteſt, ſed mortuã viuificare nõ poteſt.

Dicit etiam Del-Rio quod Diabolus ſua ſtigmata imprimit mammillis & ſub labijs. Reſpondet Maria hoc non eſſe verum,non quod Diabolus non poſſit ibidem facere ſua ſtigmata, verum non conſueuit in occultis dare, niſi mulieribus in partibus verendis. In mammillis nullum datur, propter multitudinem venarum ibidem exiſtentium, ita quod non eſſent reperibilia, vt plurimum verò in carnoſa parte.

Propoſitio 5. Dicit Maria, quod ſtigmata Synagogæ ſunt in duplici differentia, quædam viſibilia & quædam inuiſibilia. Dantur autem tam viſibilia quam inuiſibilia ad dignoſcendum quia ex parte Diaboli ſunt, & nemo inſignitur eiuſmodi charactere niſi ſtat à parte illius, nam ſicut impoſſibile habere characterem Baptiſmi & non eſſe Chriſtianum, ita fieri non poteſt, vt aliquis habeat ſtigma Diaboli, & nõ ſit Magus, aut Maleficus, quia ſtigma datur ad eum modum, quo character Baptiſmi: Vnde ſicut in die iudicij character Chriſtianorum lucebit, ita apparebit exterius ſtigma Diabolicum in corporibus damnatorum.

Dicit etiam ꝙ Diabolus imprimit ſuũ ſtigma diuerſis de cauſis, aliquando dũ renouantur contractus, & ſcedulæ, aliquando dũ abutuntur eo in ſignũ amoris, aliquando dum vouẽt illi perpetuam ſeruitutem, aliquãdo

etiam

etiam cum Deum & ſacram hoſtiam extraordinario ſacrilegio & Blaſphemia afficiunt.

Dicit etiam quod Diabolus imprimit ſuum ſtigma in corporibus Magorum, verum tamen quod ſunt notæ indelebiles & quod occupant eandem partem corporis & imprimuntur duobus modis corporibus Magorum. Aliquando vngue ipſius Diaboli, aliquando ferro calido, illa quæ ferro calido imprimuntur viſibilia ſunt, deleta opera Diaboli, temporis ſucceſſu redeunt ad priorem formam.

Dicit vlterius quod Dæmones dant ſtigma in partibus verendis, quãdo cohabitationem cum Creatura habent, in fundamento, quando committunt Sodomiam, in corde in ſignum amoris, in renibus, vt ſit incitatiuum libidinis, in capite cum primum incorporantur congregationi Magorum, ſiue etiam quando promouentur ad aliquam dignitatem congregationis, in manibus, quando committunt aliquod flagitium circa Deum & Chriſtum, in pedibus quando conculcauerunt corpus Domini. (Planè è diametro vt contrario, modo de Sigillatione ad quam ſponſus ſponſam inuitat *Cant. 8.* Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuũ, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. *Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8.* loquitur. Signaculum inquit, Chriſtus in fronte eſt, ſignaculum in corde, ſignaculum in brachio: in fronte, vt ſemper confiteamur: in corde, vt ſemper diligamus, in brachio, vt ſemper operemur.)

Dicit inſuper quod Dæmon etiam imprimit ſtigma ſuum dorſo, & non habet ſpecialem ſignificationem dicens, quod aliquando plura ſtigmata reciperentur pro vna & eadem cauſa, & hoc in pluribus & diuerſis partibus corporis, eò quod vna pars omnium non ſit capax; dicens quod Dæmon nullum ſtigma facit abſq; mortificatione carnis, quia ſtigma peccatum ſignificat, mortificat verò carnem ſua virtute, mediante conſenſu ipſius Creaturæ.

## SECTIO X.

### *Vnde probetur vlterius, quod a Diabolo ſint. Prima Aitiologia.*

S. *Propheta Iob cap. 41. verſ.* 4. occultiſſimas Sathanæ ſagarumque ac aliorum eius clientum & confœderatorum technas & in perniciem fidelium ſanctas coniurationes penſiculans, admirabundus inclamat. QVIS REVELABIT FACIEM INDVMENTI EIVS? *Quando nimirum ſeipſum transfigurat in Angelum lucis?* ET IN MEDIVM ORIS EIVS QVIS INTRABIT? VT POSSIT COGNOSCERE AMPLITVDINEM ingluuiei



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ingluuiei ac voraginis ipſius? Portas vultus eius, quem induit, ac præſefert quando apparet in ſpecie ſibi conueniente terribilis, quis aperiet? vel ſufficienter deſcribet? Quod cum nemo poſſit, idipſum Dominus facere aggreditur & dicit. *verſ.* 5. Per Gyrum dentium eius formido, quia vt leo rugiens ferè apparet dentatus tam terribiliter, vt ipſa dentium compoſitio intuentibus incutiat horrorem, *verſ.* 6. Corpus illius, quæ eſt multitudo malorum, ſeu Synogoga Sathanæ, Quaſi ſcuta fuſilia, quia ſinguli, omnem correptionem, confeſſionem, emendationem ſibi propoſitam pertinaciter reſpuunt, & à ſe repellunt, atque adhærent ſibi inuicem ſicut corpus (compactum ſquammis ſe prementibus) quia vt ſinguli ſua, ita & ſociorum peccata, (vt apparet in eo, quod ſagæ in denunciandis ſuis complicibus quam difficillimæ ſint) excuſant & propugnant, Squammas, autem defenſionem peccati ſignificare, author eſt, *Gregorius.* Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas *verſ.* 7. quia obſtruunt omnem viam ſpiritus S. tantoperè, vt ne minima quidem inſpiratio valeat corda ipſorum penetrare. Vna alteri adhærebit (per conſpirationem ſcilicet) Et tenentes ſe, nequaquam ſeparabuntur *verſ.* 8. per conſpirationis pertinaciam. Sternutatio eius Splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. *Verſ.* 9. Tam immaniter enim diducit palpebras, ac ſi videretur cœlum diducere nocturnas tenebras, vt ſeſe oſtendere poſſet diluculum. Huius rei veſtigium imprimit ſagis & maleficis, nam iſtæ vt plurimum vaſtos habent oculos, vel præter modum turgidos & deformes, vti explicat. *Iacob Ianſon.* in *Enarrat in Iob. dd. locis.* Ab hoc euidenti & permanente indicio monſtrato non abludit *Iohan. Bodin. lib. 4. cap. 1. pag.* 545. qui ait, quod Inquiſitorum oculi ſtudioſè in vultum earum configendi, non enim gens iſta audiat homines in os aſpicere, *Idem pag.* 607. Idque fit ex eo probabile, quod ſtriges per modum, quo & ſpeculum nouum inficitur ad aſpectum mulieris menſtruatæ, oculos habent vrentes, ita, vt ſolo aſpectu inficiant alios & maximè pueros. *Spin. cap.* 7.

Quandoquidem igitur cum de agnoſcendo quopiam agitur, locuples, teſtimonium, magna probatio, & propemodum certa eſt, quæ ex vultu petitur, qualis eſt iam pridē notus & viſus *l.* 44. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* Imò longè illa certiſſima, cum cicatrices deſignantur, aut aliæ notæ, quas quis in facie, vel alia quauis parte corporis, quaſi inuſtas, impreſſas certè & fixas gerit. *d. l. ſtigmata* 3. *C. de Fabricenſ.* Quale illud antiquitus fieri ſolebat in ijs, qui pœnę ſeruı operi publico addicti erant: in quorum vel brachijs vel manibus notæ quædam imprimebatur. *l. pen. C. de Aquaductu.* non videtur dubitandum, quin illa ſtigmata carnis mortificatæ exanguis & inſenſilis in fronte, ceruice, humeris alijſue

locis corporeis inuenta, tanquam inſolita ſuſpicionem Diabolicæ tyrannidis aut herilis poteſtatis cooperantis arguant. Nam ad vultum quod attinet, tantum abeſt, vt ab aliquo homine ſtigmate inſigniretur, vt ne ſerui quidem faciem vllo pacto fœdare, aut deformare liceret, imò hoc indignũ, atrox & barbarum habebatur. *l. locum* 17. §. 1. *ff. de vſuf.* ne ſi quidem id fieri videretur loco pœnę, ad quam damnatus quis fuiſſet, quem aliter, quam nota in facie ſcribenda punire placuiſſet. *l.* 17. *C. de pœn.* Etenim cum ſit homo, vt ait *Lactan. lib. 6. vera Dei effigies ac ſimulachrum*, & eius facies ad exemplũ cæleſtis & diuinæ pulchritudinis effecta. *Gen. c.* 1.

Exemplumq́ue Dei, quiſq́; eſt in imagine parua. *Manil. lib. 3. Aſtron.* Genus eſſet ſacrilegij, & crimen Maieſtatis, ſi qua cicatrice & nota, vel imprimenda, vel inurenda fœdaretur, commaculareturq́; *d. l.* 17. *C. de Pœn.* Etiam in grauiſſimo flagitio (vt quidem Canoniſtæ noſtri docent) velut ſi quis ſigillum Principis adulteraſſet *cap. Ad audientiam. extra de crim. falſi. Coraſ. in Arreſt. Tholoſ. annot* 31.

Proinde hęc ideò eſſe credenda probantur primò & ab inquiſitoribus vera prædicantur, ratione ſumpta ab experientia, quæ dicitur rerum magiſtra. *cap ad Conditorem. 3. Extrauag. de verb. Signif.* cum per vſum ſcientiam tribuat in operatione. *l. Certi.* 17. *C. de Iudic.* & nedum ſimpliciter rerum magiſtra dicitur, imò efficax appellatur, quia docet, & probat. *cap. Quam ſit. 6. de Elect. & elect. poteſt. in 6.* Vnde Philoſophus, Natura potentem, ars facilem, vſus promptum reddit artificem. Et cuilibet artificio præbet experientia nutrimentum. *l. legatis. 65. §. Ornatricibus. ff. de legat. 3. l. 20. ff. de fideicom. lib. §. fin. inſt. de Satiſdat.* Imo experientiæ, tanquam ipſi naturæ credere debemus. *Bl. poſt. fin. lect. ſuper inſt.* vbi allegat, *Ariſt. in procem. Metaph. Nouell. 23. in pr.* Et ſic arguitur. Id quod multiplici experientia comprobatur, non eſt negandum: Nihil enim certius, quam quod ſenſibus notificatur: quod ad experientiam pertinet: *Barthol. Spin. quæſt. de Strigib. cap.* 17. ne dubitanti de experimento ſenſum hoc modo.

Falluntur ſenſus, incertum ergò ignis an vrat?
Contingat talis reſponſio.
Injciare igni donèc fateare, quod vrat,
Improbe, cui ratio, cuique experientia nulla eſt.

Sed ea quæ de ſtigmatibus illis Diabolicis narrantur, ſunt in diuerſis locis iuxta prædeducta, vnanimiter quoad facti ſubſtantiam, ab inquiſitoribus alijſque comprobata, vt ex ſupra allegatis autoribus præcipuè *Petri de Lancre lib. 3. Diſcurſ. 2.* demonſtratum eſt, hiſce vti peritis in arte eſt credendum *l. ſemel. C. de re milit. lib. 12. & l. 1. in pr. ff. de Ventr. inſpic. & vtrobique Bart. cap. Propoſuiſt. extra de Probat.* Expertus enim

certus eſt, & magis quam ſciens non expertus, vt habetur in *proœm.Metaphyſ.* Non minus etiam inhærendum eſt expertorum & ſeniorum ſententijs ſine demonſtrationibus ipſis *Philoſoph. 6. Ethic.* Imò ea quæ de peritorum conſilio iudicantur vera, non ſunt cenſenda falſa ab alijs *Abb. & modern. in d. c. Propoſuiſti. de Probat. Barthol. Spin. quæſt. de Strigib. cap.* 12.

## *Secunda Aitiologia.*

Quod ab innumera multitudine perſonarum promiſcui ſexus aſſeritur, & vbique locorum, varijsq; temporibus vniformiter, quaſi vno ore loquerentur omnes, ſemper affirmatur, procul omni dubio credendum eſt, & nulla ratione negandum, vbi præcipuè talium teſtimonium admittitur in iure, & tam contra ſe, quam alios hęc ipſa ritè coram iudice manifeſtent, etiam hi, qui ſibi vitam donari deſperant, vel alij cum ſibi vitā iam donatam ſciant, hoc ipſum, & quidem non iam timore iminentis pœnæ coram inquiſitionibus exponant. Certius enim nullum aliud teſtimonium in cōtrouerſijs cauſarum dari poteſt regulariter, vbi præcipuè de occultis diſceptatur rebus, quā quando propria alicuius vel oralis vel literalis ſupereſt confeſſio, cuius exemplum habemus *Dan.*13. contra ſenes adulteros, & *Luc.*13. vbi leguntur hæc verba, (*Ex ore tuo te iudico ſerue nequam*) Atqui ſtigmata vel viſibilia, vel inuiſibilia à Satana in ſignum vel confœderationis, deſponſationis ſubiectionis homagij, aut domeſticitatis, cuiuſque ſexus ſtrigibus inuri, ibiq; inquiſita inueniri taliter probantur Ergo.

Maior propoſitio eſt. *Barth.Spinei.in q.de ſtrigib.c.*13.*in pr.* Et probatur: quia propria rei confeſſio, prętertim concurrens cum facti euidentia & permanentia, id eſt, ipſorum ſtigmatum deprehenſione plenè probat. *l. qui ſententiam,*16*, in med. C.de pœn.l.*5 *ff.de cuſtod.& exhib. reor. Godelman. tract. de magis. & venefic.l.*3*.c.*7*.n.*1*.Iohan.Bodin.in dæmonom.lib.*4*.c.*3*. Andr. Geil. lib.*1*. de Pac. publ. c.* 55*.n.*8. etiamſi coram in competente iudice facta fuerit *Bodin.dict.loc.lib* 4*.c.*3*.v. Perſæpè iudices:* Etiamſi impoſſibilia, & quę contra naturam fieri videntur contineant, puta ſi lamia confiteatur, ſe ad conuentus vniuerſales eſſe exportatam, in aërem aſcendiſſe, in lupum vel aliam pecudem eſſe tranſmutatam, rem cum Dęmone habuiſſe, & ſimilia, *Bodin. cit. loc. lib.* 4*. c.* 3*. Poſt med. v. Quod ſi dicatur. Berlich. part.*4*. concluſ.*4*.n.*64*.Petr.Binsfeld. de confeſſ. malefic. part.*1*.concl.* 12*. Martin. Delr. diſquiſ.Magic.lib.*2*.q.*16. Multò magis in caſu, vbi loquimur de impreſſione ſtigmatum, quæ iuxta poteſtatem & voluntatem Diaboli imprimentis, & reçeptiuitatem ſagarum recipientium ex reciproca pactione pronam & promptam prædictis actibus naturalior eſt, vt inferius in ſeqq. aitiologijs oſtendetur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Minor propoſitio, vti ex Protocollis omnium inquiſitorum proculdubio ſatis clareſcit, inſuper confeſſionibus Mariæ de Sains aliorumque ſtrigum, examinatæ & exorcizatæ abunde liquet. Quas confeſſiones ſuperius, vbi de definitione ſtigmatum ſeparata ſectione egi, retuli.

Itaque, quod *Ariſtoteles lib. 2. top. cap. 3*, ait, eos, qui negant Deum honorandum, aut parentes diligendos, pœna, eos verò, qui niuem albam, ſenſu indigere, id de illis qui ſtigmata ſagis à Dæmone imprimi negant: dici poteſt.

## *Tertia Aitiologia.*

Ex doctrina Theologorum irrefragabile eſt, quod in dæmonibus naturalia manſere ſplendidiſſima, & in ſua prima perfectione, vti docet Theologorum Princeps *Dionyſ. 4. cap. de Diuin. nomin. D. Thomas. 1. quæſt. 64. art. 1. 2. d. 7. q. 2. art. 1.* vnde dicitur in collo eius morari fortitudinem *Iob. 41. verſ. 13.* Currere aduerſus Deum erecto collo, & ceruice pingui armari. *Iob. 15. verſ. 26.* ipſo inter creaturas nihil potentius eſſe. *Iob. d. cap. 41. verſ. 24. Hieronym. lib. 2. aduerſus Iouin.* Dominus etiam Ieſus Chriſtus ſe comparat Diabolo, ſicut forti fortiorem *Luc. 11.* Vnde Apoſtolus Paulus ad *Ephſ. cap. 6.* ait, non eſt nobis, inquit, colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates &c. vi d. *Iaquer. in flagell. hæretic. faſ. cap. 10.*

Ex quibus infertur, quod ſi velit, poſſit ſuis mancipijs, præuia abnegatione diuina pactionibus tacitis vel expreſſis, publicis vel priuatis nec non horrenda Sodomitica commixtione ſibi deuinctis, permittente præſertim propter liberum arbitrium Diuina illud ipſum iuſtitia, ſtigmata prædicta, tanquam proprietatis aut ſubarrhationis ſymbola inurere. Quodque hoc velit, dubitatione videtur carere, Eſt enim μισάνθρωπος humani generis hoſtis infenſiſſimus, ſanguiſuga, ſemper ſanguinem humanum ſitiens. *Oſee. 7. verſ. 4.* Eſt hominibus Leo in hac vita, viſus in morte, coluber in gehenna: ibi enim damnatos mordet & cruciat vt aſpis. *D. Hieronym. in cap. 5. verſ. 19. Amos Proph.* Et quemadmodum Deus conditor & conſeruator eſt omnium creaturarum ſuarum, & maximè genus humanum conſeruatum vult: Ita Abaddon ille, item tyrannus Aquilonaris, ſicut in S. Scriptura nominatur, *Ioel cap. 2. verſ. 20.* vel Zabolus, vt à Cypriano dicitur, perditam & deſtructam omnem naturam cupit, quod innuit ſuos ſibi deuotos ſtigmatizando, & taliter carnem illorum in certis locis mortificando, & obſtupefaciendo, ſanguinemque naturalem exinde eliciendo, (quod & ſagæ viciſſim ex corporibus infantum aliquando ſugere dicuntur. *Spin. quæſt. de ſtrig. cap. 2. pag. mihi 13.* vt vel hoc ſigno quaſi proteſtationis Diabolicæ

ſuis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mancipijs impreſſę (Exemplum enim ſimilis proteſtationis ex parte Diaboli ſeruo Protherij inſinuatæ legitur *in vita S. Baſilij, & apud Petrum de Lancre. lib. 3. Diſcurſ. 1.*) Magiſtratui criminali ipſe tanquam accuſator fratrum ſuorum, inſinuet, intolerabilem eſſe illorum leuitatem, vel potius peruerſam impietatem; qui dum aliquam delectatiunculam, vt ipſi putant, temporalem quærant, immemores ſacri fœderis, cum hoſte acerrimo, (qui vel inſtar Leonis rugientis vel fideles circumambulando, vt ſacræ literæ nos monent. *1. Petr. 5. verſ. 8.* vel ſicut feles, quæ magno ſilentio, & leuibus veſtigijs auiculis obrepunt, inſidiando, prædam indefeſſus ſectatur *Chryſoſtom. Homil. 34.* Cum ipſo, inquam hoſte acerrimo ſalutis ſuæ quaſi colludant, & ex caſtris Chriſti, vt, perfugæ ad ipſum veluti inducijs factis turpiter tranſeant. Dicere autem, quod Deus hæc non permittat in ſtrigibus, eſt loqui ſine ratione: cum Deus multò maiora mala permiſerit, exigente ſic malitia non timentium eum, pro vt fuit Angelorum irreparabilis caſus; & primorum parentum, imò totius humani generis exitialis ruina, *Bart. Spin. Quæſt. de Strigib. cap. 5.* Neque eſt mirum, quod Dominus Deus famulos ſuos ſe prius deſerentes, viciſſim deſerat.

## *Quarta Aitiologia.*

Contraria ſententia nullam ſcilicet ſtigmatibus illis diabolicis fidem adhibere, eſt Reipublicæ pernicioſa, primo, quia patrocinatur crimini grauiſſimo & nocentiſſimo Reipublicæ & Eccleſiæ, & impedit illius dignam caſtigationem. Iudices enim, quibus hæc opinio eſt perſuaſa, vel non puniunt ſagas, vel non niſi leuiter, conceſſa vita: hinc fit, vt innumeri eo inficiantur, & Diabolus tutò graſſetur. Secundo condemnat pręcipua penè tribunalia orbis Chriſtiani tũ Eccleſiaſtica, quà ſecularia, nõ ſolum imperitiæ, & imprudentiæ, quod inter ſtigmata naturalia & diabolica non poſſint diſtinguere, ſed etiam iniuſtitiæ & crudelitatis, quod tam ſæua morte afficiant homines ob maleficia, quæ ipſi reuera non fecerunt, ſed duntaxat ex illis characteribus perperàm colligantur: Itaque hæc opinio contraria nullo modo toleranda.

## *Quinta Aitiologia.*

In criminibus exorbitantibus & atrociſſimis, quæ fiunt noctu plerumque in locis abditis & remotis, quæ ſui natura non poſſunt probari, niſi per certum genus hominum, & in quibus nulla remanent veſtigia, ſed facti tranſeuntis ſunt, & in animo plerumque conſiſtunt, vti ſortilegium, hæreſis & alia, in his inquam, non eſt religioſè inhęrendum regulis iuris, ſed extra ordinem procedendum diuerſa à cæteris criminibus ratione. *Innoc. in cap. cum omnes extra de conſtit. Alexand. & Iaſon. in l.*

*in l. de Pupill. 5. §, ſi quis forte 4 ff. de Nou. oper. nunc.* Et à iudice animoſius arbitrandum, imò ex indicijs minus legitimis ad torturam perueniendum. *Boſſ. in pract. tit. de indic. n. 200.* adeò, qꝓ, ſi ſe veritas haberi aliter non poteſt, coniecturalem probationem putent ſufficere non ſolum ad torturam, ſed etiam ad condemnationem. *Bald. in l. Quicunque verſ. 8. de Seru. fugitiu. & l. cum probatio. ff. de Probat. Boſſ. d. tit. de delict. n. 18. Gylman. Vot. Cameral. tom. 2. part. 1. vot 6. n. 55. & 65.* & maximè *Farinac. de indicijs & tortur. quæſt. 43. n. 67. & ſeqq.* Quid igitur vetat, quin propter hæc ſtigmata, quæ iuxta aſſertiones Inquiſitorum criminalium in nullis alijs perſonis, quam ſortilegis communiter deprehenduntur, indicium aliquod ad torturam colligamus, cum ſola effluxio ſanguinis, ſiue ex vulnere, ſiue ex ore & naribus poſt vnum vel plures dies à morte defuncti, quia experientia hoc docuit, & rariſſimè fefellit, homicidam indicet, & contra aſtantem ſimile quid miniſtret. *Gomez. 3. var. reſ. 13. n. 15. Maſc. 2. de prob. concl. 867. n. 24. Farinac p. 1. tit. 5. q. 52. n. 154.* & ibidem ab eo citati.

## *Sexta Aitiologia.*

Dæmon eſt Simia Dei, ideoque coli vult, vbi cultus fuit Deus; tum vt Deum, quatenus in ipſo eſt, poſſeſſione ſua excludat, tum vt celebrior ſit eius honos & veneratio. Idcirco Antichriſtus ſedem regiam cõſtituet in Hieruſalem, vt oſtendit. *Apocalypſ. 11. v. 8.* ibique in templo ſedebit, & coletur, vt Deus, tũ vt habeatur verus Rex Sionis, id eſt, Meſſias, ſucceſſor Dauidis, & Salomonis, tum vt profanet vrbem olim ſanctam, & pro templo Dei ſuum conſtituat: tum, vt euertat omnia monumenta paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Chriſti, cuius ipſe erit hoſtis & Antichriſtus. Sic experientia conſtat Dæmonem maximè inſidiari monaſterijs tum virorum, tum fæminarum, vt magum vel magam lubricam, turbulentam, &c. in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, vt, vbi maximè cultus fuit Deus, colatur ipſe, itaque Deum ſuo templo quaſi expellat, de eoque ſe vindicet. *R. P. Cornel. à Lapide in cap. 4. Oſee Prophet. verſ. 15.* Hinc porrò eſt, quia Diabolus, vt dictum, ſuperbiſſimus eſt, & Deo cupit in omnibus videri comparandus, quod, quẽadmodum omnipotens Deus quędam in Eccleſia ſua inſtituit Sacramenta, quæ dignè miniſtrantibus, ipſo aſſiſtente ſalutarem deſignant & producunt effectum, ipſo, qui inſtituit, operante ſalutem: Ità & Diabolus, qui nihil plus appetit, quam æſtimari Deo æqualis, quædam ſigna, tanquam ſacramenta inſtituit, quibus inuocatus ab his, quibus cõfœderatur pactis, operator malignus aſſiſtit, & quoties Deus permiſerit, quod rogatur malum efficit; ſi non permiſerit, ille, nihil omnino facit: omniũ ſiquidem effectuum Necromanticorum & maleficarum operator eſt

Diabo-

Diabolus, qui per applicationem mediorum, quæ prius ipſe inſtituit, in materiam ſubiectam opus producit optatum, aliquando realiter, aliquãdo ſolummodo apparenter. Mulieres autem maleficæ, quæ iam voluntate deprauatæ & conſenſu in conſortium Dæmonum per pacta tanſierunt, notas quaſdam & ſigna ſimbolica ab ipſis recipiũt, quibus aduocati mox Dæmones occurrũt. Nihil in his pernicioſis operationib. Dæmonum fortius ſtulta credulitate maleficarum, quæ pactis augetur & votis: quoniam quãtò vel Dæmonibus, vel eorũ ſignis firmiorem adhibuerint fidem; tantò velociorem aſſequuntur ipſis cooperantibus operationem. Voluntatis enim maleficarum nimis truculenta deprauatio eas quodãmodò conuertit in furorem, quo mentem præoccupante, mox dæmones ſe furentibus applicant, & effectũ petitionis pactis inuitati & ſignis, Deo permittente, inſanientibus præſtant *Iohan. Trithem. Abb. in Curioſ. Reg. ad Maximil. Imp. 1. quæſt. 6.* Dico igitur, quod ſicut ſimia aliquo modo ad hominem accedens, humana opera exteriora, geſtusque repræſentare conatur, ita & *Lucifer*, vna ex Dei creaturis (quo ad naturam & dona quæ naturã conſequuntur) nobiliſſimis, pręcipuas etiam Dei actiones, ad hominum ſalutem & ſanctitatẽ à Deo ter Opt. Max. inſtitutas effingere, & quadantenus imitari conſueuit. Vnde & *D. Bern. ſerm 2. de purifi. at. circa medium,* de diuino igne *Luc.* 12. promiſſo agens: *habet etiam aduerſarius noſter* inquit, *vtpote* Divinorvm Opervm Æmvlator *ignem ſuum,* concupiſcentiæ ſcil. inuidiæ, & ambitionis. Idque vt in alijs ſignis: quibus delectatur Sathanas, vt ſupra diximus, ita vel maximè de charactere loquendo dicere poſſumus Sicut Deus in tribus Eccleſiæ Sacramentis *Baptiſmo Ordine & Confirmatione*, illis, qui hæc *Myſteria* diuina ſuſcipiunt characterem imprimere conſueuit, iuxta illud *S. Pauli 2. Corinth.* 1. Deus vnxit & ſignauit nos. Ita & dæmon *Veneficis* quos Deo per ſummum nefas abnegato, ad ſuum ſeruitium ac cultum tanquam mancipia pertrahit *Characterem* imprimere ſolet; imò verò etiam denuò baptizare ac noua nomina imponere. Quod ne cuipiam nouum videatur, audiat (ſi lubet) vnum ex antiquiſſimis Eccleſię Catholicæ ſcriptoribus ac defenſoribus Tertvllianvm, in libro, *De præſcriptionibus aduerſus Hæreticos cap. XL.* Diabolus (*cuius ſunt partes interuertendi veritatem*) *ipſas quoque res ſacramentorum Diuinorum in ſuis myſterijs æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam vtique credentes & fideles &c. ſignat illic in frontibus milites ſuos &c.* Quæ verba uti fuſius referuntur à *Iul. Cæſar. Bulleng. lib. 1. de licita & vetit. Mag. cap. 6.* ſi paulo diligentius, ac preſſius examinarentur ex illis aliquot vel cauſæ erui poterunt, ob quas Diabolus eos, quos à Deo, ad ſe pellicit, Diabolico hocce ſtigmate afficiat, atque conſignet.

Prima

Prima cauſa eſſe poteſt *à crimine Plagij*, qui tanquam *Plagiarius* hominem à Chriſto per Baptiſmum, in libertatem aſſertum furatur, atque vt ait hic Tertullianus, *Interuertit*. Ideòque & ſignum ſuum eo ſæpè in loco vbi in Baptiſmo & Confirmatione Chriſtianus ſignari ſolet, inurere atque imprimere conuenit. Sicut fures (*inquit Tullius lib. de finibus*) *earum rerum quas furati fuerint, ſigna commutant*. vid. *Oſaſc. Deciſ. Pedem. 40. n. 2.* Et quamuis ipſum Characterem, qui ſpiritalis eſt, atq; in animam impreſſus eradicare non poſſit, tamē vel in ipſum ſignum externum (quātum illi fas eſt) ad maius Dei odium atque deſpectum debachatur. Non ſecus ac pardalis (S. Baſil. teſte) animal ferociſſimum ac homini infeſtiſſimū, ſi hominem verum nanciſci non poſſit, in eius ſaltem effigiem (ſi quæ illi occurrat) rabiem ſuam effundit. Ita & Dæmon, ſummo Dei opt. Max. odio flagrans, cum ipſimet nocere non poſſit; at in homine (qui ad illius imaginem factus eſt) iniuriam inferre contendit.

2. Accedit ſecunda cauſa, *fictæ religionis*, vt hoc ſigno, quaſi rem ſibi Religione conſecratam obſignet. Quam cauſam indicat Tertullianus in verbis proximè ſequentibus (Res ſacramētorum Diuinorum in ſuis myſterijs æmulatur) Nam quos alicui Deo olim Ethnici conſecrabant & initiabant, *hos ſtigmatibus inurebant*. Hoc apertè oſtendit Prudentius *περιστεφάνων hym. 10.* in paſſione S. Romani Martyris, in quo hymno cōtra omnes Gentilium Deos, ſectasque & ſacra diſputatur, his verbis.

Quid cum ſignandus accipit *Sphragitidas*? id eſt, ſignacula
Acus minutas Ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint,
Quamcunque partem corporis, feruens nota,
Stigmarit hanc ſic conſecratam, prædicant.

Ecce habes aperte, ſtigma; habes & *Conſecrationem*.

3. Addatur tertia cauſa, *In ſignum Amicitiæ intimæ ac familiaritatis cuiuſdam eximiæ*. Vnde in illis Sathanicis cœtibus, quo ſunt nequiores, honoratiores, ac Dæmoni ipſi chariores, eò plura ac maiora eius generis ſtigmata ſuſcipiunt. Id apparuit ante annos aliquot apud Gallos in Gaufrido illo Maſſilienſium ſacerdote, ac Magorum Principe, qui annis ſuperioribus à Senatu Aquēſi (ad Aquas Sextias in Delphinatu ſiue prouincia) condemnatus hoc ipſum in ſuo corpore comprobauit; Et in Germania, quædam ſagarum Regina, ſtigma inſtar Coronæ Maioris ſacerdotum circa verticem habuit. Neq; id mirum, ſi verum ſit (quod quędam ſagę in hiſce partibus confeſſæ ſunt) nempè quod *ſtigmata* illa in cœtibus Magicis reluceant, non ſecùs ac ligna quędā, atq; animantia, ſeu vermiculi ſplendorem quēdam noctu de ſe edunt, à quo Noctilucæ, appellantur. Sathan enim (vt ſupra etiam dictū eſt) Diuinorum operū ſimius etiā

illam

illam beneuolam Dei promiſſionem *Danielis. 12.* factam. *Qui ad iuſtitiam erudierint multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates*, in ſuis tenebroſis conuentibus adumbrare quadantenus ſtudet; ſicut & illam ſanctorum Martyrum prærogatiuam, quâ membra quæ aliquid ſingulare pro Dei cauſa paſſi ſunt, eximio quodam præ alijs fulgore decorabuntur. Et hoc eſt, quod Tertullianus ait, Dæmonem tribuere ijs, quos *fideles* & amicos in alijs peruertendis ſcilicet expertus fuerit.

4. Quanquam & hæc fidelitas ad *quartam* horum ſtigmatum cauſam, nempè ad genus quoddam *Voluntariæ ſeruitutis* pertinere poſſit; ad quam ſeruiendam illi ter & amplius miſeri, ſeſe propria voluntate Dæmoni alligare non verentur. Itaque ſicut olim apud Tyrannos reperire erat, *ſeruos ſtigmatias, Threicijs compunctos notis*. Sicut & hodiè apud Turcas cum captiuis fieri aſſolet, vt raſo capite, notati, ac compedum catenis onuſti, ſi quà effugere conentur, ad priorem ſeruitutis ſtatum retrahantur. Et in numiſmatis auctoritate publica ac legitima cuſis, character imprimi ſolet, ex quo dignoſcatur cuiuſnam Regis, Principis, Reipubl. Ciuitatis &c. ille nummus ſit. Quem characterem falſarij adulterare ſolent. *Herodotus in Melpomene, ſeu l. 4.* narrat Darium Perſarum Regem ex auro purgatiſſimo monetam percuſſiſſe, vt memoriam ſui poſteris relinqueret. Hoc inaudiens Argandes Ægypti Præfectus, ſimilem ſibi monetam cum ſua effigie ex Argento fecit. Ea re comperta, Darius tamen illum rebellionis inſimulatum morte affecit. Idem erga Dei Creaturas, eius imagine ac charactere inſignitas, Sathan læſæ Maieſtatis Diuinæ Reus vnà cum ſuis attentat.

5. Addit & quintam cauſam Tertullianus, vt ſcilicet hoc ſtigma ſit quaſi Sathanicæ militiæ Authoramentum nexuſque, cum ait: *ſignat illic in frontibus miniſtros ſuos*. Quanquam enim & alijs etiam locis, hæc ſigna ſua Dæmon imprimat; tamen ſæpius id agit *in fronte ac manu*. Idque ex veteris militiæ conſuetudine atque exemplo, de quo *Flauius Vegetius lib. 1. c. 8.* Non ſtatim punctis ſignorum inſcribendus eſt Tyro delectus. *Et lib. 2. c. 5.* Legio formatur. Nam victuris in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti iurare ſolent. Ad quem locum explicandum multa ex ſacris prophaniſque congerit *Godeſcalcus Stevvechius*, ſicut & *Lipſius lib. 1. de Militia Romana, Dialogo 9.* Vt inter alia eſt illud *Aetij Medici: Stigmata vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt militum ( in manibus.)* Quid autem ibi ſcriptum? *Lipſius* ait ſolidè neſcio: ſuſpicor tamen nomen Imperatoris. Diuus *Auguſtinus Epiſt. 50. Sic error corrigendus eſt ouis, vt non corrumpatur in ea ſignaculum Redemptoris. Neque enim ſi quiſquam regio charactere à ſignato deſertore ſignetur, & accipiat indulgentiam: atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia in qua nondum eſt, inquit, in aliquo*

 *eorum*

*eorum character ille reſciatur, an nonpotius in ambobus agnoſcitur, & honore debito, quoniam Regius eſt approbatur?* Appellat enim *Regium characterem.* Nec dubium quin ſentiat de iſto. Certè & olim nomen Imperatoris in ſtatuis, haſtis, vexillis ſolebant inſcribere, atque horum exemplo, apud delectum Tyronum, in cute. Adde magnum ſignum Crucis cum quatuor paruis impreſſum cuti illorum qui peregrinantur Hyeroſolymā verſus & ſepulchrum Domini noſtri Ieſu Chriſti viſitant, militeſque ſepulchri Domini ſancti vocantur. Horum inſignium meminit. *Franciſc. Mennenius, in Delicijs Ordin. Equeſtr. pag. 43. & Innoc. 3. in cap. inter dilectos Extr. de donat.*

Qui in tractatu *pag. 52.* ait eodem, quod Equites S. Lazari olim ſoliti fuerint Crucem viridem pro Ordinis teſſera præferre, nunc verò fidem cum militia S. Mauritij coniuncti Crucem viridem limbo candido cōcluſam, in cuius medio altera D. Mauritij ſuperpoſita eſt, in veſtibus gerunt. Alias S. Mauritij Equites etiamnum præferunt Crucem albam, florigeram Gallis dictam, & à ſancto Martyre in bello Chriſtianis pro teſſera obtendi ſolitam. Sub Paulo tamen quinto impetratum, vt Lazarini Equites Galli in poſterū Equites S. Mariæ de monte Carmelo, & S. Lazari nuncuparentur, & violacei coloris crucem Virginis matris effigie inſignem, ex collo pendentem itemque chlamydi affixam, exemplo Melitenſium præferrent, *Idem Mennen. d. loc. pag. 56.*

Sic Montmorenciaci primi Chriſticolæ & Franciæ Barones Ordinis equeſtris canis authores, illuſtre Ordinis ſui collegium olim, cane, notiſſimo fidelitatis ſymbolo & gallo gallinaceo in ſignum victoriæ inſigniuerunt, quemadmodum Sergius Galba Imperator tam ſua, quam maiorum acta & inſignia hoc ſymbolo notauit. Et illuſtris Croyorum familia etiamnum. Similiter ſub Ferdinando Arragonio in Arragonia cœperunt Anno 1403. Equites Liliati, cui rei vaſculum lilijs candidis inſigne & Diuæ Virginis imagini adpictum præbuit auſpicium, teſte *P. Beloyo.* Octogenam crucem Melitenſis aut Rhodenſis tyro ex pura lintea tela candidam accipiens monetur ſanguinis quem profundere libens debet, & à Chriſtianorum finibus hoſtem repellere; Milites item & ſacerdotes Teutonici crucem nigram limbo argenteo inſignem chlamydi adſutam, & alteram ex collo pendentem præferre ſolent. *Munſter. lib. 3. de Germania.* Equitum in Liuonia collegium ab Innocentio 3. confirmatum enſis rubri ſignum cum cruce pallio inſuta præ ſe fert, &c. Quæ inſignia vti pro defenſione Chriſtianiſmi piè excogitata ſunt, Verum Momum & mimum Sathanam in ſuis nouiter initiatis militibus, fine quamuis contrario, exprimere valde probabile eſt.

S extâ

Sextà cauſa huius ſtigmatizationis poteſt coniecturari illa, quod quemadmodum character ſpiritualis, vt ſuprà *Sect.* 2. latius deductum, inter cætera datur ad diſtinguendum, Chriſtianos ſcilicet, ab Ethnicis Ità & hæc diſcernat è contrario transfugas à fide Chriſtiana ad Synagogas Sathanicas: *arg. l.* 1. §. 8. *ff. de fugit. l.* 2. *C. de Seru. fugit.* Non ſecus, vti inter conditiones & διατάγματα, quæ ſpecialiter ad vitam priuatam & publicam Iudæorum, item eorum actus & contractus iudiciales & extraiudiciales, vt & delicta & pœnas pertinent, eo fine, vt in Imperio Romano tolerari poſſint octauo requiritur, vt vtriuſque ſexus Iudæi, notâ vel ſigno quopiam certo à Chriſtianis diſcernantur, ne quis cum eis ac Chriſtianis imprudens verſetur, *cap.* 15. *in pr. Extr. de Iudæis. cap. In audientia. De ſentent. excommunic. Eberh, Speckhan. cent.* 2. *Claſ.* 1. *quæſt.* 16. per habitum enim debent diſtingui nouitij à profeſſis. *Vinian. in rat. iuris Pontific.* §. *ſtatuimus. de Statu Monach.* Meretrix à matrona. *cap. in audientia* 25. *De ſentent. excommun. l.* 15. §. 15. *ff. de iniur.* maſculi à fæminis per crines & veſtes. *Cap. ſi qua mulier* 6. *Diſtinct.* 30. Liber à ſeruo per pileum. *l.* 1. §. 5. *C. De Latin. libert. toll.* Similiter & hodie S. Eccleſiæ Romanæ Cardinales rubrum geſtant pileum, vt ſignificaretur eos pro Eccleſiaſtica libertate vitam profundere, ſi neceſſe ſit, paratos eſſe debere.

Septimò, olim Romæ teſte *Marco Aurelio Imperatore, apud Gueuar. in horolog. Princip. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 9. Nemini in publicum prodire licebat, aut fas erat, niſi inſigne ſecum portaret opificij vel artis, quam factitabat, & qua victum quæritabat, quod ſi quis contrà feciſſe deprehenſus eſſet; non ſolum puerorum per vias inſequentium clamoribus, vt fatuus inceſſabatur, ſed è veſtigio à cenſore condemnatus cũ alijs ergaſtulis operi publico faciundo addicebatur: Ac ne fabulam tibi narrare videar, ſic habeto; Imperatori prælatum fuiſſe cereum cubicularium ardentem, cõſuli ſecurim bellicam, Sacerdotes verò galericulum forma reticuli crinalis, Senatores conchas in brachio, Cenſores ponduſculum, tribunos clauam, regulos ſceptrum, Pontifices coronam plectilem, Oratores librum, gladiatores enſem, aurifices catillum geſtaſſe: Idemque reliquos opifices feciſſe, præter negotiatores exteros, quos omnes vna eademque nota inſignitos incedere oportebat: nulli enim peregrino Romæ eodem cum ciuium liberis habitu, & inſigni vti licebat. Haud ſecus ex inſtituto Sathanæ ſortiarios ſuæ profeſſionis nefandæ inſignia geſtare ſtigmata valdè probabile eſt.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Octauò, Tres fraternitates Regias hodiè in vſu eſſe, hiſtorijs & obſeruantia viridi hodierna proditum eſt. Et quidem, vti olim Iaſonis ſocij ad expeditionem claſſicam ad Colchos, Velleris aurei ſpe atque dignitate extimulati ſunt: ita Philippus Burgundiæ Dux ( qui cognominatus eſt Bonus ) Anno 1429. viginti quatuor heroas, quorum præter cæteros nobilitata animi magnitudo, virtus & induſtria in fratres recepit. Cauſa huius inſtitutionis fuit firmamentum Eccleſiæ, quod & inſcriptio hæc indicat.

Tuta à nobilibus quo Eccleſia firmior eſſet
Nobilis iuuentus velleris ordo mihi eſt.

Ordo hic appellatur Toſoruus, & equeſtris Ordinis Senatus. Alter eſt S. Michaelis in Gallia, inſtitutus cum aureo torque à Ludouico vndecimo, Anno 1469. *Petr. Gregor. Tholoſ. lib. 15. Syntag. cap. 35.*

Tertius aureæ Periſcelidos in Anglia ordinatus ab Edoardo. 3. Rege, ex ridicula cauſa: inſcriptionẽ hanc habet. ( Honi ſoit, qui mal' y penſe) ſimiliter Diabolum, non iuſta poteſtate, ſed falſa opinione mortalium, & ſuperba vſurpatione ſua ( vt in ſcripturis vocatur ) *Principem huius mundi*, id eſt eorum, qui mundum ſequuntur, *Ioan. 14.* fallacem aliquam ſodalitatẽ prioribus partim pijs, partim iocoſis æmulam inter Synagogæ ſuæ participes ſtigmatum quorundam inuſtione mentiri credibile eſt.

Nonò, Contrahentes olim in ſignum conſummati & celebrati contractus frangebant ſtipulam, & poſteà iterum iunctis partibus ſponſiones ſuas agnouerunt, non ſecus, vti proci hodiè cum amaſijs ſuis partiũtur aurum fractum: Hinc *Iſidor. lib. 5. cap. 24. in fin.* ſtipulationem à ſtipula deriuatam autumat: Atqui pacto nefando inter Cacodæmonem & Striges inito, nefandas inter eos intercedere cõmixtiones, & ſubſequi abominabiliũ harum notarum impreſſiones ex illarum vnanimi depoſitione receptum eſt: Ergo hanc infallibilem arrham ſceleſtæ illius conſuetudinis eſſe, cuiuis facilè ominari licet: Signa enim negotij ciuilis celebratum ſuum contractum arguunt. *l. 1. §. 3. & l. 2. ff. de Pact.* Animus ſiquidem ſemper ex ſignis & præcedenti tractatu colligitur. *l. 13. §. 5. ff. de iur. Fiſci. l. 4 ff. de doli mali & metus exceptione.*

Decimò, Impropria inueſtitura ritibus & ceremonijs, porrectione, ſcilicet, baculi, enſis, haſtæ, vexilli, annuli, bireti, chyrothecæ, &c. adumbrata. *2. Feud. 2. in pr.* ſecundum conſuetudines feudales ius ad rem conſtituit, *2. Feud. 7. in fin.* vſque adeò, quod eius vi Vaſallus propria authoritate rem in Feudum datam apprehendere poſſet. *arg. 2. Feud. 33.* idque conſtat ex hiſce ceremonijs, quibus Mauritius Elector Saxoniæ quondam inauguratus eſt, prout refert *Sleidan. in Comment. Ann. 1548.* hiſce verbis.

Mauritio Cæſar honorem Septemuiratus, & Ioannis Friderici prouinciæ maximam partem attribuebat in caſtris prope Witebergam, ſed hoc in conuentu publica & ſolenni cæremonia tanquam in poſſeſſionem illum mittit, & in ſuam Imperique fidem accipit, quod tunc ei promiſerat. Fuit hoc Februarij die 24. qui quidem dies eſt Cæſari natalis. Ea verò cæremonia ſic habet. In foro tabernaculum erat extructum è materiâ, patulum, in quod per gradus aſcendebatur. Eo Cæſar à meridie venit ſub horam tertiam comitatus Electoribus. Poſt illinc in vicinam domum tranſit, & veſtem ſolennem induit tum ipſe, tum Electores. Inde rurſus prodit, & in ſolio conſidet: idem illi faciunt ſuo quiſque loco. A tergo ſupra Cæſarem erant quodam in pegmate collocati tubicines. Ibi primùm agmen Mauritij procedit, & incitatis equis tabernaculum petit, vti fieri conſueuit. Interim Mauritius cum altero agmine conſiſtit è regione, comitatus turba procerum, & proximè ante ipſum erant tubicines 12. Mox prodeunt ex illâ cateruâ Henricus Brunſuicenſis, Wolfgangus Electoris Palatini frater, Albertus Bauarus, & vbi curſu perueniſſent ad illum locum, deſcendunt ex equis, & Cæſarem adeunt, ac obnixè rogant, vt Mauritio publicum Imperij beneficium, & inſignia Principatus conferat. Cæſar cum Electoribus re communicata per Moguntinum reſpondet, Placere ſibi, modo veniat ille ipſe, & idem petat. Eo accepto reſponſo Mauritius cum toto agmine procurrit. Præferebantur ei vexilla decem, cum totidem inſignibus regionum, pro quibus inaugurationem petebat. Cum conſcendiſſet, in genua ſubſidet ante Cæſarem & idem rogat. Itaque Cæſar per Moguntinum reſpondet. Quoniam vterque ſibi fidelem nauarint operam, velle ſe Mauritio, eiuſque liberis maſculis, aut ſi nulli ſint, Auguſto Fratri, eiuſque liberis Electoratum Saxoniæ, & Ioannis Friderici poſſeſſiones omnes conferre, niſi quantum illius liberis iam antè ſit conceſſum. Mogũtinus deinde iuſiurandum, quo Electores tenentur recitat, & vbi Mauritius illo præeunte verbis iuraſſet, Cæſar enſem ei tradit, & hac cæremonia velut in poſſeſſionem mittit. Ille gratias agit, & omnem fidem, obſequiumque pollicetur. *Hactenus Sleidanus.*

Non abſimili modo, Rex ille ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, qui omne ſublime videt, *Iob 41.* Deus huius ſeculi excæcans corda ſecularium *2.Cor.4.* Princeps harum tenebrarum, *Tit.2.* ſuos clientulos præuiâ vaſallagij præſtatione ſibi deuinctos huius ſeculi auaros, ambitioſos & luxurioſos, ſortiarios *Omnia regna mundi*, (quæ tamen Domini Dei ſunt. *Pſalm. 23.*) eis *oſtendendo in momento*, (prout fecit in tentatione Saluatoris noſtri *Luc. 4.*) de bonis hiſce *momentaneis* abuſiuè, id eſt, fallaci & mendaci modo inueſtit, *Pater mendacij Ioan. 8.* Et in eius perpe-

tuum τεκμήριον nefando prius modo ſeſe cum eis commiſcens, indelebilem hanc notam inſuper eiſdem imprimit: non ſecus vti iuxtà ſententiam *S. Hieronymi in cap. 55. Iſaiæ verſ. 13.* ibi (& erit Dominus nominatus in ſignum æternum) dicuntur corpora Beatorum ſignanda eſſe in cœlis ſtigmate crucis, quod non delebit æternitas; perinde ac crucis & quinq; vulnerum ſtigmata manebunt in æternum in ipſo corpore Chriſti, vt ſint perenne monimentum illius & hoſtiæ redemptionis; Sic enim in Martyrum corporibus manſura in cęlo vulnerum ſigna fulgentia, quaſi trophæa, vt docent. *S. Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 20. S. Ambroſius Serm. 57.*

## *Septima Aitiologia.*

Antichriſtus filius perditionis opera Diaboli ſuos aſſeclas ſuo tempore ſignabit certo quodam Characteriſmo, vt ſuprà *Sectione 7.* latè deductum eſt; Probabile igitur eſt ipſum Diabolum, cuius inſtinctu directorio & ope omnia hæc pro amplificatione regni ſui præſtituto tempore fient, futuræ illi ſtigmatizationi omninò præludere, & tali abominabili modo ſagas à Chriſtianiſmo deficientes apoſtatas, tanquam prodromos & ſeminaria futuri Antichriſtianiſmi ſibi deligere, initiare, & à cœtu Chriſtianorum fidelium ſegregare, quo etiam expoſitio Theologorum ſaniorum ad d. *cap. 13. Apocalypſ.* collimat.

## *Octaua Aitiologia.*

Stigmata illa, & notæ inuſtæ, quæ in veneficis deprehenduntur, aut ſunt naturalia; aut ſunt ſupernaturalia; id eſt, præter communem naturæ ordinem à ſupra naturali aliqua cauſa ijſdem impreſſa.

Non ſunt naturalia, quia iuxtà Medicorum aſſertiones, vti ſuperius in *Sectione 9.* attactum, quamuis in planta pedis, aut alijs locis extremis continua attritione vel callus inſenſilis, & exanguis ſimul, aut clauus generari poſſit, non tamen in media parte corporis carnoſa ſanguis, aut membranoſa dolor punctatim auferri poteſt, vt circumferentia eius, vel totum membrum, puta brachium, mammilla, caput, ſanguine vegetum & ſenſibile ſimul remaneat, quamuis gangrænam, impetiginem, aut cicatricem ponas: Sanguis enim eſt vehiculum vitæ, nec poteſt naturaliter particula membri mortua, & tota circumferentia ſimul vitalis exiſtere, quatenus totus homo ablatis paulatim vitalibus & ſpiritalibus facultatibus in inſtanti moritur, & connaturalis paſſio eſt, vt corpus humanum graui accepto vulnere ſanguinem fundat, ſagax enim prouidaque natura, vt læſæ parti ſuccurrat, eò ſpiritus, ſanguinem, alimentaque

tranſmittit, vbi acceptum fuerit detrimentum, *Alphonſ. Palaot. de Ieſu Chriſti ſtigmatib. cap. 16. n.* 10. *&* 18. Quo refer aſſimilationem Menenij Agrippæ ad plebem Romanam poſt factam ſeceſſionem miſſi oratoris, qui comparatione ducta ab inteſtina membrorum cum ocioſo ventre ſeditione, ad iram plebis in patres, hominum mentes leniuit, flexitque, Vniuerſa quondam corporis humani membra referens aduerſus ventrem, veluti ocioſum, & nihil corporis impertientem, conſpiraſſe: quorum ſtoliditatem facilè venter irriſit, dicens non ſatis ab ijs animaduerti, quod cum ad reliquorum membrorum explendos appetitus, vniuerſum ipſe ſuſcipiat nutrimentum, rurſus non ingratè cæteris à ſe diſtributum emittat, *Liu. lib.* 2. Ex quo igitur cicatrix ſeu vulnus conſolidatum, à ſanguine humano nutrimentum, & à neruis ſuum ſenſum habet, non poteſt eſſe, quin ſenſum ſaltem obtuſum habeat, ſtyloue in id impacto ſanguinem emittat. Fateor quidem in *gangræna* & *Sphacelo* partes præter naturam, vt Medici loquuntur, quoque conſtitutas eſſe, hoc eſt, à naturali ſtatu receſſiſſe, adeò vt gangræna ſit mortificatio partis, quæ inflammatione tentata eſt: vbi verò membra planè emortua ſunt, eam affectionem *Sphacelum* nominant, in hiſce affectibus quidem, veluti chyrurgica demonſtrat operatio, ſenſus & vita abeſt, proinde nec vllus excitatur dolor, nec ſanguinis profuſio timetur. *Hieronym. Fabric. ab Aquapend. de Gangr. & Sphacel.* Similiter in morbis capitis à materia frigida, vt in apoplexia, alijſque morbis ſoporiferis, ſicut & in hyſterica paſſione, ſiue aſcenſu vteri vehementi, quando affecti mortuis non abſimiles iacent, dolores vix vlli, vel obtuſi ſaltem percipiuntur: Fateor itemque quod medicamenta narcotica ſiue obſtupefacientia ſenſum planè ſopiant calore partis extincto. Quippe Cardanus, Magneti non abſimilem videri ait alium magnetem Candidum, cuius experimentum tale dictus vidit author. Attulerat Laurentius Guaſcus Cheraſcius Prouinciæ Taurinenſis Medicus Empyricus, his diebus hunc lapidem, pollicebaturque poſſe, ſi vel ſtylum aut acum tangeret, carnem totam abſque vllo dolore penetrare: quod cum nobis, vt par eſt, ridiculum videretur, *inquit dictus author*, rem experimento in meis contubernalibus confirmauit. Ego tandem, vt tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipſam prius lapidi affricatam cuti adiutorij brachij intuli, ſenſique primo leuiſſimam punctionis imaginem: poſt, cum totum muſculum quaſi directa penetraret, acum quidem in profundum, qua penetrabat, penetrare ſentiebam, dolorem nullum penitus ſenſi: tumque familiaribus, quod in me fueram expertus, credidi. Quod ipſum Dioſcorides & Albertus Magnus, *lib. de Secret. pag.* 363. tradunt de

Mempi-

Memphite lapide, qui tritus ac membris, quæ vrenda, ſecanda, torquenda ſunt adfricatus, vel cum aceto adlinitus facit membra obſtupeſcere, vt nullum ſentiant cruciatum, imò & totum corpus in ſtuporem reſoluit, vt refert *Paris de Puteo, in tract. de Syndic. cap. de tortur. leg. 2. Grilland. de tortur. cap. 4. Scalig. Exerc. 331. Sect. 3.*

Verum enimuero gangræna & Sphacelus adimunt vſum membri illius vbi reperiuntur, rarò ſunt ſine fœtore & putredine, in tam exigua quantitate nunquam reperiuntur, nec carne viua & ſana circumdantur, neque in illis induratam pellem experimur, quæ in ſtigmatibus ſagarum omnia contrario modo ſeſe habent. Deinde in hiſce notis Strigibus inuſtis non vna certa ab vno, ſed quæcunque acicula à quocunque impacta nullum dolorem conciliat, nec ſanguinem elicit: Neque etiam ſagæ quãdo punguntur ita aciculis capitis morbo frigido, vel vteri aſcenſu, vti ipſis inquiſitoribus facilè ex aſpectu innoteſcere poteſt, laborant, neque probabile, quod eædem ipſæ vel alius medicamenta narcotica ipſis in locis notatis adhibuerit, probabilius igitur eſt, quod hæc ſtigmata potius à cauſa aliqua ſupranaturali originem habeant, idque vel exinde patet, quod illud, quod magis excedit finem & facultatem noſtræ naturalis virtutis atque potentiæ, magis ſit etiam in ſe ſupernaturale, maioremque depoſcat abſolutè virtutem: Cum enim poſſibile reſpondeat potentiæ, vt illius obiectum, & ex hoc eidem proportionetur: ſecundùm exceſſum rerum poſſibilium in eſſendo, erit & potentiarum proportionatarum exceſſus in virtute: *Spin. de ſtrigib. cap.* 12. Minus autem ab homine tam ratione intentionis, quam potentiæ factibilis, quod caro quædam exanguis & inſenſilis pelle indurata circumdata carne viua in media parte vegeti corporis efficiatur. Concludendum eſt igitur, hominem naturali virtute, hoc nequaquam facere poſſe, ſed talem ſtigmatizationem à ſupranaturali quadam cauſa originem trahere.

Sin autem hoc poſterius ſtatuendum, ea cauſa ſupranaturalis eſſet vel diuina, vel Diabolica, non eſt diuina, illa enim inuſtio ſtigmatis vel ob ſanctitatem, vel ſecuritatem fieret, eaque à Domino Deo, vel inſtituta, vel alicubi obſeruata fuiſſet, ſed neutrum ex his poſterioribus aſſumi poteſt, quia talia inſolita in perſonis eiuſmodi præuia denuntiatione, & fama malè anteactæ vitæ incarceratis ideò non præſumuntur, tum, quia ex inſolitis fraudis ſuſpicio inſurgit. *cap. ſi quando, Extr de Reſcript. cap. Quod ſuper. Extr. de Fid. inſtrument. Menoch. lib. 3. præſumpt.* 122. *in fin.* tum. Quia ſanctitas perſonarum non tam temere præſumitur, quatenus non omnis moriens putandus. S. Ioannes Baptiſta, inquit *Bald. in tit. De pac. conſtantia. Menoch.* 5. *præſumpt.* 5. *in fin.* Sed probari debet, iuxtà *Maſc. de Probat. vol.* 1. *Concluſ.* 262. *per tot.* Nec talis ſtigmatizatio electorum ma-

terialis

materialis apparens alicubi vel inſtituta, vel obſeruata fuit à Domino Deo, niſi probetur, concluditur proinde prædicta ſtigmata à Diabolo impreſſa eſſe.

Quę autem tanti ſtuporis cauſa proxima eſſe queat, non admodum anxie erit ei quærendum, qui ipſe ſecum reputauerit, quemadmodum nihil inquam homini à Dæmone niſi mortiferum, atque exitiale accidere poſsit, inquit *Remigius lib.1. Dæmonolatr. ſag. c. 5. circ. fin.* Nam equidem longe à verò aberrare mihi videntur, qui ſic à naturalibus cauſis eius rei rationẽ arceſſunt, corpora quæ ſibi Dæmones excitant plus quàm glaciali rigere frigore. Vulgo autem ea orbari ſenſu, atque obſtupeſcere, quibus extreme frigida admouentur, vel circumfunduntur: vti hyeme ſumma torpere, languereque magis ſolemus: & ætate iam affecta, quæ mortis veluti rudimentum quoddam eſt (ſunt autem mortui adeò inſigniter frigidi, inquit *Plutarchus*, vt aciem nouaculę ſi quis tentet admouere propter incomparabilem rigorem obtũdat) ſenſus omnes ſint tardiores atque hebetiores. Et in ipſis quoque animantium corporibus, quæ partes minimum caloris habent, ſenſu minus pollent: qualia ſunt pili, oſſa dentes, aliaque id genus quæ (vt inquit, apud *Macrobium* Diſarius) effectui animæ ſenſum miniſtrantis ſunt penetrabilia. Nam talis vtiq; cenſeri nequit, qui membris animalium vna cum vulnere ſtupor à Dæmonibus infigitur. Primum, quod ſi quis manum admoueat, nihil ipſe tactu diſtinguat, aut vlla qualitate immutatum reperiat. Deinde quod cauſis, quæ in ſe efficientiam naturalem cohibẽt, ſublatis, maximeq; ſi quæ extrinſecus accedunt, effectus quoque ceſſare oporteat At ſic eſt is de quo loquimur, Dæmonum contactus, vt inducta ab eo ſenſus alienatio ſemper duret: quoque longius à ſua cauſa abeſt, eo magis conualeſcat. Tum ſagarum manus ad eandem perniciem à Dęmonibus inſtructæ, ſæpè repentes ſunt, & eiuſmodi rigoris expertes: apprehenſa tamen intermedijs etiam veſtibus membra, perpetuo hoc torpore debilitant, vti experientia ipſa non ſemel comprobauit. Denique, defl[illegible]ratæ, ac delibatæ tantum cutis vitium (vt Chirurgorum verbis vtar) in ſola cute, niſi quid aliud eſt, conſiſtit, nec altius progreditur. leuiſſima autem eiuſmodi laceratione, quicquid ſubeſt, vel quantum longiſſima acicula penetrare poteſt, ſenſu orbatur, atque exhauritur.

Omnino igitur cauſam aliunde eſſe oportet, quam ab eiuſmodi frigore: quantumuis duro, atq; acerbo. Cuius generis etiam illud eſſe puto, quod Meteorologi, percuſſa, afflataue fulmine animaliũ membra perpetuum exanguia, ac torpida fieri produnt. Nam fulminis contra igneanatura eſt multorumq; id ſæpè incendiorum cauſa exiſtit, quemadmodum pluribus oſtendit *Seneca lib. 11. c. 21. in quaeſtionibus naturalibus.* Hoc igitur

gitur quod iam nobis dictum eſt, identidem inculcare conuenit, in Satana nocendi, perdendique vim occultam eſſe, ac nullis naturæ legibus adſtrictam: otioſeque illos agere, qui quæ is facit, ad certam aliquam naturæ rationem exquirunt: quaſi non illi ſit potius perpetuum cum natura diſſidium, atque contentio. Et id quidem ab hoc vno exemplo (quod ſuperioribus quaſi corollarium accedet) fidem vel locupletiſſimam ſibi vendicare poteſt, quod nunc nuper in Samardano noſtro Ruſtico, à mulieris, quæ tum fortè ſortilegij comperta fuerat, marito inaudiui. Pridem ſe eam de malâ aliquâ arte ſuſpectam habuiſſe, vel inde maximè, quod ſingulis, quæ veneris diem proximè anteceſſiſſent, noctibus, cum accubaret, glaciei inſtar rigentem ſemper ſenſiſſet. Id enim tempus ferè eſt in Lotharingia (vti à nobis paulo ante dictum eſt) quo ſagæ dimiſſo conuentu à Magiſtellis ſuis digredi ſolent: Nam & eiuſmodi rigorem ex illorum recenti contactu eas contrahere, ac aliquantiſper retinere poſſe, non eſt vtique dictu incredibile, atque abſurdum. Qua autem ratione alia, quam quæ modo dicta eſt, haud facilè eſt coniectari. Hactenus *Remigius*.

## SECTIO XI.

### *In qua ex prædictis omnibus ſequens generalis Apodictica concluſio colligitur.*

RES dicitur eius eſſe, cuius ſigno eſt ſignata. *l. Quod ſineque* 14. *§.* 1. *ff. de peric. & commod. rei vendit. cap. Si iudex. de Sent Excom. in.* 6. facit *text. in cap. Quod quidam.* 1. *quaſt.* 1. *& cap. quemadmodum.* 23. *quaſt.* 7. *cap. poſteà ſignatur* 23. *quæſtion.* 2. *cap. ſanè profertur, & cap. Magnæ. Extra de voto* tam quoad dominium, quàm quoad poſſeſſionem. *l.* 3. *C. de bon. vacant. l. Monumentorum.* 6. *C. de Relig. & ſumpt. fun. vbi Dd.* Quod publicè inciſa in æs vel marmor, vel in lapides probent. *l.* 10. *ff. de Probat. l.* 27. *ff. de condit. & demonſtr. l.* 11. *ff. fin. Reg.* inſcripta verò monumentis iura ſepulchrorum non tribuant quidẽ viuente illo, qui inſcribi iuſſit, ſed tamen illo præmoriente. *Forcat. Dialog. Necyomant. num.* 34. Adde moris olim fuiſſe, vt res quiſque ſuas etiam minutiſſimas annulo ſignaret. Idque teſtatus eſt expreſsè. *Plin. Nat. hiſtor. lib.* 33. *c.* 1. his verbis. Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? At nunc cibi quoque & potus vindicantur annulo à rapinis. Eoque non dubium eſt, quin *Valerius*, reſpexerit *lib.* 7. *cap.* 9. *de M. Pepilio* ita ſcribens vnum etiam de multis, qui aſſidebant, vltimo complexu & oſculo dignum iudicauit, ſemperque annulos quoque ſuos ei tradidit; videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus amitteret. Qui

bus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus etiam non incommodè addi poteſt, quod de clauibus & annulis maiori natu filiæ traditis ſcribit *Papinianus.* in *l.* 77. §. 21. *ff. de legat.* 2. *Iacob. Reuard. lib.* 5. *var. cap.* 16. Item in obſignandis tabulis & inſtrumentis vtebantur eo, vt oſtendit. *Plaut. in Curcul. Act.* 2. *ſcen. vlt.* vnde plus annulis, quam animis hominum credi queritur. *Senec. lib.* 3. *de benefic. cap.* 15. & obſignari tabulas conſueuiſſe *Paul.* 5. *ſent.* 25. tradit. Teſtamentum quoque inſuper annulo ſignari moris fuiſſe ſatis conſtat ex. *l.* 22. §. 5. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Inuenio *Auguſtum*, cum morbo grauiſſimo conflictaretur, deplorata ſalute annulum *Agrippæ* tradidiſſe. *Dio. lib.* 53. refert; Et *Tiberium* deficientem exemptum digito annulum, quaſi alicui traditurum, parumper tenuiſſe. *Sueton. in eius vita* 73. teſtatur. Atque hunc annulum vt plurimum ſecum circumferebant. *Macrob.* 7. *Saturnal.* 13. quem & vnicum ſaltem habere licuiſſe maioris certitudinis cauſa ex eodem cognoſcitur, Super vacaneum eſſet monere literas eo obfirmatas vt plurimum fuiſſe. Nam & illud adhuc ætas noſtra obſeruat. Quo pertinet *Tulli. Q. Ciceron.* fratri rationem regendæ prouinciæ præſcribentis ſententia. Sit annulus tuus *inquit*, non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe *Tu*: Non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ. Sunt & aliæ ſignaturę ſcilicet imaginis, vnde non tantum ait S. Propheta Dauid. *Pſalm.* 4. *verſ.* 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei*: *Sed etiam* Saluator noſter. *Luc.* 20. ait, *Oſtendite mihi denarium, cuius imaginem habet, & ſubſcriptionem. Et reſpondentes dixerunt, Cæſari: dixit illis: Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo.* Facit textus. *in c. Diſplicet.* 23. *quæſt.* 4. *ibi. Et vos oues Chriſti eſtis characterem Dominicum portantes.* Et *Geneſ.* 4. *Poſuit Dominus ſignum in Cain.* Sic ſignum animalis demonſtrat Dominum, Et eo ipſo, quo equus, bos vel ouis, vel alia res reperitur cum ſigno meo, quo vtor, ſignata probatur mea, *arg. text. in l. Stigmata. C. de Fabricens. l. pen. C. de Aqua ductu. lib.* 11. *l.* 3. *C. de frum. Alexand. lib.* 11. & ita tenent. *Bart. Lucas de Penna, & Platea in d. l. Stigmata.* Et faciunt ſtigmata recognoſci perſonas viuas vel mortuas, Alexand. in *l. cum diuerſis. ff. de relig.* & *ſumpt. fun.* Vti enim nomina inuenta, vt res ipſas ſignificent. *l.* 7. *in fin. ff. de ſupell. leg.* § 3. *Inſt. de Donat l.* 10. *C. de Ingen. & manumiſſ.* Ita dicimus Stigmata militem, habitum Clericum, ſtolam ſacerdotem, quæ propriè eorum ſigna ſunt, ſignificare. *Bald. in l. Directis. C. de teſtam. manū l.* 15. §. 15. *ff. de Iniur. l.* 100. *ff. de verb. Signif. Menoch. lib.* 3. *Præſumpt. cap.* 64. Licet *Bald. in Auth. Dos data. C de Donat. ante nupt.* dicat quod ſolum faciat præſumptionem, quia alias de facili poſſet fraus committi, illumque ſequitur. *Chaſſan. in Catalog. glor. mund.* 1. *part. conſid.* 35. ponens exemplum in ballis mercatorum, Conſentiunt hiſce. *Beneuenut. Strach. tract. de mercat. part.* 2. *n.* 78. *Anton. Gomeſ. in l.* 45. *Tauri. num.* 77.

*Menoch.lib.2.de arbitrar.caſ.318.n.23. Hieronym.de Cauall.in pract.quæſt.745. Oſaſc.deciſ. 40.n.2.* latè *Rota Genuenſis Deciſ. 201. Paul. Chriſtin. deciſ. Belgic. vol 2.deciſ.111.n.2 Matt.Berlich.concluſ.36.n. 93. Maſcard.vol. 2. concluſ 1051.* Qui ait, *num.* 1. Mercum præſumptionem inducere pro illo, cuius merco res ſunt notatæ, ſignum enim oſtendit ſignatum, & mercatores ferè hac de cauſa merca & ſigna habent, qũ bus merces ſignantur, dicit. *Bald. in l.1 n.1 C Quæres vendi poſſ.* hinc ſarcinæ, ſiue ballæ vt loquuntur eorum eſſe præſummuntur quorum merco ſunt impreſſæ: Idem facit ſignum in venditis arboribus. *Boer. deciſ. 105. num. 9.* & inſignia ac vexilla faciunt præſumi nauim illius eſſe, cuius inſigne. *Iaſon. Conſ. 170. col. 4. vol. 2.* Ex ſigno etiam quo mercatores vtuntur, depræhenditur, quod ſit inducta communio & ſocietas, vt ſi ſit appoſitum ſuper rebus de quibus agitur. *Hector. Felic. de commun. & Soc. cap. 11. num. 4. Strach. in tr. de Mercat. part. 2. num. 11.*

Atqui, vti ex prothocollis Inquiſitorum præſupponitur, in denũciatis & incarceratis vt plurimum perſonis, hodierno tempore et quidem in varijs partibus corporis, præuia, prout par eſt ſolerti & curioſa indagine ac probatione numeroſa quandoq; deprehenduntur ſtigmata inuſta, & quidẽ quę, vt ſuperius demonſtratum latius, nec naturalia, dico non naturalia quippe quæ præſumptionem hanc non indicant, ꝙ res ſit in dominio alicuius (quia dato, quod nunquam auis fuiſſet in dominio alicuius, nihilominus tamen ſi in eſſent ei ſigna naturalia, ſcilicet pes varicoſus, aut in poſtrema eius parte nullum vnguem haberet, ſed tantum globum carnis, hęc vtpote ab occupante non facta non probant hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe *l. non hoc 4. C. vnde legitimi. Chaſſan. in conſuetud. Burgund. rubr. 13. §. 1. n. 8.*) Sed accidentalia violenter impoſita, nec tamen ſupra naturalia diuina, ſed Diabolica ſunt.

Vnde meritò vel ſaltem ex præſumptionibus & indicijs apertiſſimis ac permanentibus illis (quæ in hoc crimine occultiſſimo nocturno & atrociſſimo non minus, vti in crimine læſæ maieſtatis humanæ *iuxta Fabr. in l. 5. C. Ad. l. Iul. maieſt.* Vel adulterio. *l. 34. C. Ad. l. Iul. de adult. Bodin. l. 4. Dæmonomania. cap. 4.* ſufficiunt) ſi non ad mortem, ſaltem ad torturam tanquam mancipia viua Diaboli his notis inuſti condemnandi ſunt, Qualem enim te inuenero, talem te iudicabo. *l. 15. §. 1. ff. iniur.* & talis quiſque eſſe præſumitur, qualis eſt habitus, quem geſtat. *cap. iudex, Laicus. De ſentent. Excommun. in 6. Nicolaus Euerhard. loc. 11. à veroſimili. n. 7.* vnde & *Lucanus lib. 6. verſ. 510.* ſagarum habitum latius expreſſit, his verbis.

*Illi namque nefas vrbis ſummittere tecto,*
*Aut laribus ferale caput, deſertaque buſta*

Incolit,

*Incolit, & tumulos expulſis incolit vmbris.*
*Grata Deis Erebi, cœtus audire ſilentum,*
*Noſſe domos Stigias, arcanaque Ditis operti,*
*Non ſuperi, non vita vetat, Tenet ora prophana*
*Fœda ſitu macies, cœloque ignota ſereno*
*Terribilis ſtygio facies pallore grauatur,*
*Impexis ornata comis.*

*Quintilian. declamat.* 15. ait Magi ante omnia minax vultus, feralis habitus, horreant ſqualore crines, rigeat ſuper nefandas cogitationes effera triſtitia. confer. *Iul. Cæſar. Buleng. li. 2. aduerſ. Mag. c. 68.* vti igitur per ſua ſigna proconſularia, faſces ſcilicet & ſecurim cognoſcitur Proconſul· *l. 1. ff. de offi. Proconſ.* Archi Epiſcopus per pallium *cap. Ad honorem. 4. Extr. de Author. & vſ. pall.* ciuis Romanus per togam *l. 32. ff. de iur. Fiſci.* Iudæus per circumciſionem. *cap. ab exordio 2. Diſt. 35.* Clericus per tonſuram. *cap. Ex literis. Extr. de tranſact.* Mulieres per annulos, *cap. Noſtrates, 3. cauſ. 30. quæſt. 5. cap. illud. 11. Extr. de Præſumpt.* Per eoſdem ferreos, olim ſerui, argenteos libertini, aureos, ingenui *l. 4. ff. de Iur. aur. annul. Iſid. lib. 19. Etym. cap. 32.* Et habitus diſtinguit nouitium à profeſſo. *cap. pen. extra de Regular. & tranſ.* Ancillā à libera, meretricem à matrona *l. 15. §. 15. ff. de Iniur.* Ita & per ſtigmata, ac alium habitum vultus & oculorum Striges: Idque tum ratione ſignificandæ profeſſionis ſuæ; quemadmodum frontones animoſos, & reſolutos ſui cultus profeſſores diligit & ſignat Deus *Apocal. 7. Pſ. 4. verſ. 7. Epheſ. 1. v. 15. & c. 4. v. 30. Iohan. 6. 27. 2. Corith. 1. v. 21.* Cruces & roſaria publicè deferunt & geſtant Heluetij Catholici, vt inter medios Hæreticos profiteantur ſuam fidem, ſeque eſſe Orthodoxos Chriſti, & Virginis Deiparæ cultores: Sic & Epiſcopi crucem auream vel argenteam: ipſe verò ſummus Pontifex adamantinam etiam dum celebrat, geſtat in pectore, Cardinales verò regulariter rubrum pileum: Hi enim quaſi duces fidelium in bello ſacro ad tuendam Chriſti crucem debent eſſe fortes vt adamantes, & veluti Nabothi vineam ſuam defendere, & pro Eccleſiaſtica libertate, ſi neceſſe ſit vitam profundere. *3. Reg. cap. 21. & cauſ. 23. quæſt. 8. cap. 21. Gloſſ. in. cap. 3. de Immunit. Eccleſ. in 6. in verb. Aeternam.* Similiter etiam vt in die Cinerum omnes Chriſtiani in Eccleſia ſignantur in fronte cruce cinerea, quin & omnes dum ſurgunt, dum orant, dum prandent, dum incumbunt, & alias ſæpè per diem, ſignant ſe cruce in frōte, qui vetus mos eſt, inquit, *Tertull. de Corona militis. cap. 3.* Imò primis Eccleſiæ temporibus moris erat Chriſtianis ſignum crucis, aut nomen Ieſu candentibus notis carni inurere, vti teſtatur *Procop. in cap. 44. Iſaia,* Ad hoc ſignum profeſſionis, ſuos hortabatur Quirites. *Cic. 1. Orat. in Catil.*


quan-

quando ait, Sit inſcriptum in fronte vniuſcuiuſque ciuis, quid de Republica ſentiat: Tum etiam per hoc adumbratæ initæ inter ſe confœderationis ergò: Illius placet duo ſimilia exempla hic adſcribere. Anno 1566. 5. Aprilis multi ex fœderatis nobilibus Belgicis Bruxellas venerunt & illuſtriſſimæ Gubernatrici libellum ſupplicem porrexerunt, quo inter cętera volebant edictorum ad Inquiſitionem pertinentium executionem tantiſper prorogari, donec ad regem Philippum quiſpiam mitteretur. Gubernatrici tum fortè aderat magni nominis eques aurei velleris, qui dixiſſe fertur ad illam. Non eſt, quod formides. *Geux*, id eſt, mendici ſunt iſti, & nihili homines. Inde illi arrepta Occaſione, ſe *Geux* vel *Geuſeos* nuncuparunt, & paulo poſt quidam ex primarijs dicti fœderis nobilibus in publico conuiuio iam apud omnes pervulgatiſſimum illud *viue les Geux*, viuant Geuſei, Bruxellis proclamaſſe fertur, ſimul è VASCVLO LIGNEO, quali vtuntur mendici, hauſto vino, Porrò etiam veſtes ſibi ſumpſerunt coloris Cinericei, & ad latus appenderunt VASCVLA LIGNEA, quorum laminis argenteis hæc inſcripſerunt. *5.* Aprilis Anno *1566. viue les Geux. F. Laurentius Surius Carthuſ. rer. in orb. geſtar. in dict. Anno pag. mihi, 681.*

Cuius fere ſimile exemplum legitur in vita Othonis 1. Imperatoris Romani, cum enim is regnum ſuum *Anno Chriſti 938.* auſpicatus eſſet, & Galli comminarentur ducere in Germaniam tantum exercitum, quãtus viſus anteà non fuiſſet: Imò cum *Hugo Capetus* Comes Pariſienſis Saxones per contumeliam ſtramineos & effœminatos nominaſſet. Ad hæc reſpondiſſe Oth. nem ferunt, inanes eas comminationes parum decere ſapientes Principes, cum conſtet victoriam & euentũ belli in manu Dei eſſe. Reſpondit, & hoc quoque ducturum ſe in Galliam tot pileos ſtramine contextos, quot nunquam antea vidiſſent. Et ea de cauſa ad ludibrium contumeliæ exercitum ſuum inſtruxit, vt milites gererent (Pileos Stramineos, cum colis & fuſis ſubtiliter tornatis) eumque exercitum vſque ad Lutetiam Pariſiorum perduxit, in eaque dictum Hugonem cepit, & liberatum regem Ludouicum affinem ſuum in Galliæ regnum reſtituit. *Carion. lib. 3. Chron. c. 4. Monarch. 3. ætat. in vita Othonis. I.*

SECTIO

## SECTIO XII.

### *Præcipuarum quarundam obiectionum reiectionem & enodationem continens.*

PRodiere nuper Coloniæ Agrippinæ quæſtiones nonnullæ authoritate quorundam Theologorum DD. Leodienſium, nec non Louanienſium, vti prætendebatur, deciſæ: quarum & vna fuit eiuſmodi. An fides aliqua adhiberi poſſit ſtigmatibus à Diabolo aut Energumenâ denunciatis, aut à carnifice, vel alio quouis examinatis & iudicatis? Ad quam decidēdam cōmuniter præfati DD. in Negatiuam deſcendunt ſententiā, eò, ꝙ ſtigmata ex ſeipſis nihil probent, vt latè *Binsfeld*, eumque ſecutus *Delrio*, &c. ex denunciatione Spiritus aut Energumenæ nullā accipiant maiorem authoritatem. Etiā quando carnifex dicit, aut quilibet alius ſe ſtigmata in denunciato deprehendere, eaq; quando ſolito examine probata ſunt, non emittunt ſanguinem, & iudicantur eſſe in carne mortificata, tamen ſtigmatibus, aut carnificis, aliorumque quorumcunque iudicio non eſt ſtandum iuxta *Binsfeld. & Delrium*. Probatur primo, quia probatio per aquam non eſt magis (imo eſt minus) ſuperſtitioſa, quam probatio per ſtigma, ſed illa eſt illicita, & iure canonico vetita, ergo & hæc. Maior probatur, quia ſuperſtitio probationis per aquam in hoc cōſiſtit, quod cum naturale ſit, corpora grauia ferri deorſum, iudex ſupponat, corpora Magorum à Diabolo teneri, ne mergantur, corpora vero innocentum neque teneri, neque à Deo permitti vt teneantur, & ex hoc diſcernant Reos ab innocentibus: hæc autem ideo ſuperſtitioſa eſt, quia neque naturæ legibus conformis eſt, neque vllo Dei promiſſo aut verbo fundata: At verò ſimilis ſuperſtitio eſt in probatione per ſtigmata. Nam cum naturale ſit corpus viuum & ſanguineum, ſi fiat vulnus & diuiſio continui, dolorem ſentire, & ſanguinem emittere, iudex ſupponit corpora Magorum à Diabolo ſiue per mortificationem, ſiue per ſtuporem ſic eſſe affecta, vt neque dolorem ſentiant in certis locis, quæ ipſi ſtigmata vocant, neque ſanguinem emittant: corpora verò Innocentium neque ſic affici, neque Diabolo permitti à Deo, vt ea ad tempus ſic afficiantur, & ex hoc diſcernat reos ab Innocentibus: hæc autem ſuppoſitio ſimili modo neque naturæ conformis eſt, neque in vllo Dei verbo, aut promiſſo fundata. Non eſt naturæ conformis, quia eſt æqualis poteſtas phyſica Dæmonis in Innocentē, & nocentem, & non eſt maior diſpoſitio phyſica ad ſuſcipiēdum illū characteriſmum in corpore nocētis, quā innocentis. Ergo, ſpectando vires naturæ, æq; poteſt vterq; illo charactere

notari,

notari, Quod autem Deus permittat tantum hanc operationem in maleficam, nullo certo argumento conſtat, quia ex occulto ſuo iudicio Deus aliquando deteriora permittit dęmoni circa innocentem, ſic enim homines aliquando ſine ſua, aut ſuorum culpa actuali à dæmone poſſidentur, ita *Mald.tr.10 c.8.dub.8. Raphael de la Torre. Tyreus de Dæmoniacis par.2. cap. 29. & 31.* qui id *Auguſt.* & *Chryſoſt.* tribuit Vnde *S. Hieronym. epiſt. ad Paulinam* de dormitione Bleſillæ, inſcrutabili Dei iudicio cauſas eiuſmodi vexationis putat reliquendas. Similiter Dæmon poteſt morbis, & alijs malis afficere innocentes. Ita percuſſit Iobum vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem capitis, & D. Paulo datus eſt ſtimulus carnis, Angelus Satanæ qui eum colaphiſet. Cum itaque electos ſuos Deus permittat à Dæmone vexari, nulla certa ratione conſtat illa ſtigmata, ex permiſſione Dei à Dæmone, innocentibus imprimi nunquam, præſertim ſi concurrat opera alicuius Magi, aut Sagæ, conuenientis cum Dæmone de ſtigmate corpori innocentis imprimendo: longe amplius enim permittitur Dæmoni nocere quando cum ipſo concurrit homo, quam quando per ſe ſolum operatur. *Malder de Magia dub.8.* & ita conſequenter fallax videtur illud indicium, & ſic reijciendum ex generali Regula, quam tradit *Stephanus V. cap. conſuluiſti. cauſa 2.q.5.* vbi reiectis aliquot vulgaribus probationibus, quę tunc erant in vſu, generalem Regulam ſubdit, quod Sanctorum Patrum documentis ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſsione, vel teſtium approbatione publicata delicta, commiſſa ſunt Regimini noſtro iudicare.

Probatur 2. Iudex non debet vti illa probatione, in qua ſola malignitas miniſtri poteſt grauare accuſatum innocẽtem. Sed hoc fieri poteſt in probatione per Stigmata. Maior patet ex ſcopo & fine probationis, inſtituitur enim probatio ad inquiſitionem, & manifeſtationem occultę veritatis, & innocentis abſolutionem, vel nocentis punitionem, non in præiudicium innocentis. Minor probatur quia explorans ſtigmata ſi ſit aduerſarius accuſati, poteſt iudicibus cicatrices vulnerum, vel vlcerum, aut maculas naturales oſtendere tanquam ſtigmata, & facta apud ſe adiuratione acus, quæ ſtigma explorat, ſanguinẽ proprijs incantamentis ſiſtere, prout pueri ludicrè ſæpius faciũt. In quo caſu ſola miniſtri malignitas grauabit innocentem, neque iudicibus vllo modo conſtare poterit, an conſiſtentia ſanguinis fiat, ex accuſati reatu, vel miniſtri malignitate, an ex naturali impedimento ſanguinis per alias torturas eius qui accuſatur, & per recurſum ad cor, aut per metum, & ei concomitans frigus conſiſtentis.

Probatur. 3. In quæſtionibus, quæ conſcientiam Iudicis tangunt,

tenetur iudex plus deferre ſententiæ Doctorum Catholicorum, quam non Catholicorum, ſi eæ inter ſe diſſentiant, ibi enim præſumitur veritas, vbi docet magiſter veritatis, & eſt veritatis ſchola, ſed in quæſtione de probatione per ſtigma, Doctores Catholici, & quidem inquiſitores, & iudices contra Magos reijciunt hanc probationem, vt patet ex *Binſfeldio*, *Del-Rio*, *& alijs*. Alij verò non Catholici, vt *Bodinus*, *& Danæus* qui non fuerunt inquiſitores & iudices contra Magos, eam admittunt, quibus tamen etiam ex non Catholicis alij contradicunt vt *Godelman* & alij ergo, &c.

Hiſce addi poſſunt quartò: Quæ dubitatiuè hac de re tradunt *Del-Rio Diſquiſit. Magic lib.4. Sect. 4.n. 28. Et Binsfeld. in Comment. in tit. C. de Maleſic. & Mathem. indic.* 14. his verbis Quidam ſagas volunt dignoſcere ex eradicatione chriſmatis in fronte, alij ex ſtigmate impreſſo: ſed vtrumque meritò improbat *Binsfeld*: nam quoad eradicationem illam, ridiculum hoc eſt: chriſma enim nihil viſibile, vel ſenſibile relinquit in vertice vncti quoad ſtigma non omnibus inurit, ſed ijs tantum quibus diffidit eos conſtantes fore, vt iam alij obſeruarunt; præcipuis non inurat: aliquando etiam delet, cum capti ſunt; & quando non delet, id relinquit, vt hanc ſuperſtitionem iudicum foueat; & ſic nonnunquam innocentes plectantur; nec enim facilè verum ſignum dignoſcas à maculâ, vel næuo, vel clauo vel impetigine naturali, tum quia non eadem eſt forma ſigni: aliquando eſt ſimile leporis veſtigio, aliquando bufonis pedi? aliquando araneæ vel catello, vel gliri; tum quia non idem locus; in virorum enim corpore ſæpè viſitur ſub palpebris, ſub labijs, ſub axillis, in humeris, in ſede imâ; fœminis etiã in mammis, vel in muliebribus locis: tum etiam, quia non omnium ſtigma eſt inſenſibile, & ſi aduertant ſe pungi, fingere dolorem poſſent, etiam quem non ſentiant. Hactenus *Del-Rio*.

Acie iam ſic noſtrâ ordinatâ pugnam ( neutiquam ſane victoriæ aſſertricem, ſaltem argumentorum liberam communicatricem ) capeſſemus, ac per aduerſa hoſtium caſtra tranſeamus: Et quidem ad primum reſpondetur per modum retorſionis: inuertendo planè propoſitionem & aſſertionem Dominorum Leodienſium & Louanienſium quintam, hoc modo:

Stigmata ex ſe ipſis probãt, ex denuntiatione mali Spiritus aut energumenæ maiorem accipiunt authoritatem: Eaque prima aſſertionis pars probatur ex ſuppoſitione & tacita conceſſione DD. Conſulentium in *probatione* 1. *verſ. Non eſt naturæ conformis, &c.* ſuperius facta, qua cum vrgent æqualem poteſtatem phyſicam Dæmonis in innocentem & nocentem, prout & parem diſpoſitionem phyſicam ad ſuſcipiendum illum

characteriſmum in corpore innocentis & nocentis, illudque exemplis. *S. Iobi Propheta* vlcere peſſimo à Sathana percuſſi, ac D. Apoſtoli Pauli Colaphiſati probare conantur (quæ tamen partim à vero aliena, partim impertinentia eſſe, inferius demonſtrabitur) non obſcurè largiuntur ſtigmata prædicta carnis inſenſilis & mortificatæ à Diabolo inuſta eſſe: ſiquidem quando duo alicui obijciuntur, ſicut ille negat vnum, ita poteſt negare & alterum; cum ea, quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in anima, ſint paſſionum notæ. *c. ſedulò. Diſt. 38. & Ariſt. 1. de Interpret. cap. 1.* Ideò duobus alicui illatis, quod de vno negatur, de alio conceditur *cap. 5. X. de Præſumpt.* & excluſio vnius eſt incluſio alterius. *cap. Qui tacet. de reg. iur. in 6.* Sicut cum Iudæi dixerunt ad Ieſum; nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus; Ego dæmonium non habeo, *Iohan. cap. 8.* Duo quippe ei illata fuerunt, vnum negauit, alterum tacendo conceſſit. *Gregor. homil. 18. in Ioan.* Et tanto clarius eſt arte Diabolicâ hæc ſtigmata inuſta eſſe, quod naturaliter hoc fieri non potuit. *Anton. Fab. in Codic. lib. 9. tit. 12. Defin. 2. n. 10.* Quo præuio, ſic arguitur: ſtigmata, ſigna, inſignia, characteres, ſigilla & merca probant vel ſaltem præſumptiuè ex ſe & ſua natura rē in illius Dominio, poſſeſſione vel obligatione eſſe, cuius ſunt, & à quo infiguntur: Ergò cum hæc ſtigmata ex tacita conceſſione DD. Conſulentium, nec non *Aitiologia 5.* ſuperius poſita à Diabolo ſunt; ſuppoſitum illud in Dominio vel quaſi aut obligatione duntaxat ſpeciali Diaboli eſſe, fit apodicticum ex natura ſolius huius ſtigmatis.

Antecedens, præterquam quod ſuperius *Sect. 11.* latè probatum, confirmatur inſuper. *Bart. in l. ſtigmata. 3. C. de Fabricenſ.* ait ſolennem practicā eſſe, ſi quæratur in iudicio de aliquo homine recognoſcendo, vtrum iſte ſit, qui tali tempore fuit in ſtudio, qui ſic fecerit, & teſtes dicunt ſe recognoſcere, quia viderunt & inſpexerunt faciem eius, valet eorum dictum. *l. Cum in diuerſis ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Sed pone, vt de facto accidit, inuenitur homo mortuus, cuius facies eſt adeò deuaſtata, quod per eam non poteſt cognoſci, certè deueniendum eſt, ad alia ſigna corporis, & ſi teſtis dicat, recognoſco, quod eſt talis, ex tali cicatrice, quā habet in aliqua parte corporis, quod talis teſtis rectè probet' *Anton. Corſet. in ſing. verſ. teſtis. incip. dictum teſtis.* Facit etiam quod animalia poſſunt cognoſci, per talia ſigna, ſeu ſtigmata, & ideò de conſuetudine eſt inuentum, vt equi & animalia ſignentur certis ſignis, quibus cognoſcantur, & ad illum finem peti poſſunt exhiberi. *l. cum ſi exhibuiſſent. 3. §. 2. ff. de Publican. & vectigal. l. 3. §. Si cum noxali. ff. Ad Exhib.* Sic quædam ſiunt inſignia, quæ dignitatem vel officium probant, vt inſignia proconſulum & Legatorum *l. 1. ff. de Offic. Proconſul. 8. §. 1. ff. de Rer. diuiſ.* & hodie Epiſcoporum,

quæ

quæ quilibet habens illam dignitatem licitè portare poteſt, alius nō poteſt principaliter, quin incurrit in crimen falſi *l. 27. § fin. ff. Ad. l. Cornel. de falſ. l. 1. C. de his qui pœn. nom.* niſi acceſſoriè, vtputa in ſignum ſubiectionis *Bart. in tract. 8. de inſignijs & armis. n. 1. & 2.* Veluti S. Apoſtolus Paulus. S. Franciſcus. S. Catharina Senenſis, Coleta Ordinis S. Claræ reformatrix ſanctiſſima, Lyduuina, Virgines eadem Chriſti vulnera, corporibus ſuis impreſſa ſuſtinuerunt, ex vi & frequentia meditationis nata, *Apud Sur. in vitis ipſarum. Thom. Stapleton. prompt. Mor. in domin. in. Natiu. Domin. in pr.*

Altera aſſertionis ſupratactæ pars corroboratur Senatusconſulto Gebennenſi, quod recenſet. *Anton. Fab. in Cod. de Malefic. Mathem. & Sortileg. definit 3.* his verbis. Etſi non deſint magnorum virorum teſtimonia, qui Dæmoniacis, id eſt, Dæmonibus ipſis exorciſmo coactis fidem adhibendam cenſeant, etiam ad ſupplicium mortis infligendum, eſt tamen ea res nimis periculoſi exempli, vt Princeps mendacij pro veritatis teſte fidiſſimo habeatur. Planè ſi qua veritatis indicia aliunde extarent (vt hic, vbi ipſa ſtigmata, rerum teſtimonia ſcilicet adſunt) aut ſi perſona quæ accuſaretur iā ante accuſationem pro ſortilega & malefica publicè habebatur: non eſſet dubitandum, quin etiam Dæmonibus exorciſmo compulſis aliquid credendum eſſet, non vt ad mortis condemnationē vllo caſu, ſed ad quæſtionē & tormenta deueniri poſſet, &c. Hactenus *Anton. Faber. cit. loc.* De argumētis *Binsfeldij & Del Rij* dicemus inferi⁹ ſuo loco ſpecialius.

Pergunt Dd Leodienſes & Louanienſes in ſexta aſſertione. Etiā quando carnifex dicit, aut quilibet alius ſe ſtigmata in denuntiato deprehendere eaq; quando ſolito examine probata ſunt, non emittunt ſanguinē, & iudicantur eſſe in carne mortificata, tamen ſtigmatibus, aut carnificis, aliorumq; quorumcunq; iudicio non eſſe ſtandum: Idq; probant primò, inſtituendo comparationē inter probam, quæ fit per aquam frigidam, & hanc quæ fit per ſtigmata, quaſi illa ideò ſit ſuperſtitioſa, ꝙ cum naturale ſit, corpora grauia ferri deorſum, Iudex ſupponat, corpora magorum à Diabolo teneri, ne mergantur, corpora verò innocentū, neq; teneri, neq; à Deo permitti vt teneantur: Hac verò ratione pari vel fortiori: Nā cum naturale ſit, corpus viuum & ſanguineum, ſi fiat vulnus & diuiſio continui, dolorem ſentire, & ſanguinē emittere, iudex ſupponat, corpora Magorum à Diabolo ſiue per mortificationem, ſiue per ſtuporem ſic eſſe affecta, vt neq; dolorem ſentiant, neq; ſanguinem emittant: corpora verò innocentiū neq; ſic effici, neq; Diabolo permitti à Deo, vt ea ad tēpus ſic afficiantur, quā ſuppoſitionē dicunt perinde vel magis ſuperſtitioſā eſſe.

Verum, quod pace tantorū Theologorum dictum velim, Committitur inſignis in eo Elenchus comparationis, quatenus probam illam, quæ ſcilicet fit per aquam frigidam ſuperſtitioſam eſſe libenter agnoſco: in hac vero ſtigmatum indagine & examine tale quid minimè intercedere mihi perſuaſum habeo, & vtrumq; ſic oſtendo.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illa probatio, quæ fit per aquam frigidam eſt ſuperſtitioſa, idololatrica, infidelitatem ſapit & eſt opus Diabolicum, ea ratione, quod implicitum pactum cum Dæmone tacitè, & ipſa vi facti initum, etiam præter intentionem facientium, continet; & fit toties, quotieſcunque aliquis cōtendit facere quid per cauſas, quæ nec virtute naturali, nec ex diuina aut Eccleſiaſtica inſtitutione poſſunt illud efficere; Secundo Deus per id experimentum videtur tentari: nam dum omninò contrà naturalem id ſit rerum ordinem & ab eo profectum iudicium, impoſſibilitatem ſeu naturæ accuſatricem, vel etiam teſtimonium naturæ contrarium ſecum importat, & nos Chriſtiani Iudaiſantes ſignum requirere videmur, quemadmodum in nouo teſtamento ſæpius fecerunt Phariſæi. *Matth. cap. 8.* Tertiò hæc tentatio neque in humanis literis vllum habet fundamentum, ſed expreſſis earum ſanctionibus eſt vetita & abrogata. *c. Mennam. cap. Conſuluiſti. cap. Monomachiam. 2. quæſt. 5. cap. fin. Extr. De Purg. vulg.* tanquam ſuperſtitioſa, quia intendit probare innocentiam vel culpam hominis per experimentum non ſecundum naturam, neque ſecundum Catholicam ſcripturam, ſed per modum ſuperſtitioſum quærendo miraculum ſine cauſa, cum alias in aqua frigida ità mali ſubmerguntur vti boni, proinde hæc proba appellatur purgatio vulgaris, quæ nulla Canonum aut legum authoritate fundata eſt. *Petr. Binsfeld. in tractat. de Confeſſ. malefic. 2. membr. quæſt. 1. Dub. Del-Rio. lib. 4. Diſquiſit. Magic. quæſt. 5. Sect. 1. & ſeqq.*

Verum nulla purgatio, quæ vulgaris dici poſſit, fit per ſtigmata illa Diabolica, etiam ſecundum aſſertionem noſtram, veluti ex abuſu fiebat per aquam frigidam. Ergo ne quidem in genere conueniunt, aut comparari poſſunt. Antecedens probatur, ex definitione: vulgares purgationes definiuntur, quod ſint iudiciariæ diſquiſitiones, quibus fortuito euentui veritas culpæ vel innocentiæ decidenda permittitur, nullo legitimo vſu, ſed vulgi quadam vſurpatione & obſeruatione ſuperſtitioſa introductæ, pleræque etiam iure Canonico expreſsè vetitæ, *Del-Rio lib. 4. Diſquiſ. Magic. cap. 4. lib. 4. quæſt. 4. in pr.*

Atque definitio competit purgationi vulgari quæ fit per aquam frigidam, quia ibi vulgus intendit probare innocentiam, vel culpam hominis per experimentum non ſecundum naturam, neque ſecundum Catholicam ſcripturam, ſed per modum ſuperſtitioſum, vt dixi, & quæritur miraculum à Domino Deo fieri in aqua ſine cauſa. *Binsfeld. cit. dub. 1. pag. mihi. 346.* Atqui in ſtigmate iam antea per mortificationem carnis virtute Diabolica impreſſo, permanenti, & per ſenſum viſus & tactus Dominorum inquiſitorum demonſtrabili, veritas culpæ vel innocentiæ fortuito euentui nullatenus decidenda committitur, vti de priori caſu

ante dictum. Primò, quia, non, vti in probatione per aquam frigidam
ſupernatatio vel ſub nerſio quarundam perſonarum, quæ vel nocentes
vel innocentes eſſe poſſunt, ex fortuitò euentu contingit & inde vel reæ
vel inſontes perperam arguebantur: Ita in ipſa probatione ſtigmatum per
Stylum aut aciculam à Carnifice vel alijs expedita carnis mortificatio,
vel viuificatio, quaſi per ſortẽ ex euentu fortuito & mirabili demum fit,
& eatenus criminis reatus vel innocentia exploratur, Sed inuſtio illorum
characteriſmorum in medio corpore naturali ſano, viuo & vegeto ſuper-
naturaliter à nullo alio, quam Diabolo facta (vt ſupra demonſtratum
abundè) ab inquiſitoribus deprehenſa, ſine vlla ſuperſtitione non minus
probari poteſt, quam iuxtà monitum S. Scripturæ, Spiritus, an à Deo,
an à Diabolo ſint; & Medici per pulſum, vrinam & alia ſigna corporis
ſanitatem vel infirmitatem hominis explorant.

Quid dicam? Etiam de iure diuino & ciuili, ſine vlla ſuperſtitione, ex
phyſiognomia mala præſumitur quem ad ſcelera procliuem, ſicut etiam
à bona benè præſumitur, iuxtà *Bald. in l. 2. C. Quor. appell.* Hinc. *Eccle-
ſiaſtic. cap. 19. verſ. 26.* ex viſu cognoſcitur vir, & Sapientia hominis lucet
in vultu eius. *Sap. Eccleſ. cap. 8.* Imò agnitio vultus eorum reſpondet eis
*Iſaiæ 3. verſ. 11. 1. Reg. 16.* Et *Paris de Puteo* ait ſe per Phyſiognomiam bis
iudicaſſe in *tract. de Synd. col 8.* Neque hoc vlla ratione ſuperſtitioſum
putandum eſt, cum etiam Chyromantia de homine præſumptionem fa-
ciat. *Franciſc. Caſon. tract. 1. de Phyſign. & Chyrom. cap. 6. ex. 13. cap. Exod.
verſ. 9. & Iob 36.* aut malum nomen. *1. Reg. 25. verſ. 25.* vel pallor, tre-
mor, rubor, & dentium crepitus, iuxtà *l. 10. §. 5. ff. de Quæſt. Caſon. cit.
loc. cap. 8. & cap. 7. de Pallor.* itemque veſtigia pedum. *Id. cap. 5.* vide de
Phyſiognomia in hoc ſcelere veneficij latè. *Binsfeld. Comment. in tit. C. de
Malef. & Mathem. l. 2. quæſt. 4.* Similiter non eſt ſuperſtitioſum ſi ex ſtig-
matibus eiuſmodi ſupernaturalibus, ſuſpectis, & Diabolicis reas argua-
mus ſagas. Qui enim ſignum acceptat, etiam ſignatum amplectitur *l. Sed
ſi accepto. 32. & ibi Gothofr ff. de Iur, Fiſci. Bald. in tit. Quid ſit inueſtit. 3. col.
verſ. Quæſiuit.* Et in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. *Bald. in
tit. Qual. Feud. alien. pot. §. ſi vero. Angel. conſil. 68.* Qui dicit; in habentibus
ſimilitudinemt facilem eſſe dationem conſequentiæ. Quemadmodum
enim cum ſponſa annulum ſponſi ei pro ſigno matrimonij miſſum cum
taciturnitate acceptauerit, rectè & ex conſequentia matrimonium tan-
quam ſignatum faſſa eſſe dicetur. *Zaſ. lib. 2. conſil. 2. tom. 6. n. 67. & ſeqq.*
quatenus ſymbolizant miſſio annuli, & matrimonium. *Hippolyt. de Mar-
ſil. in ſuis ſing. fol. 12. arg. Clem. 1. de Procur.* Ità & ſaga ex ſtigmate in cor-
pore ſuo deprehenſo Apoſtaſiam & Sodomiticam commixtionem cum
Dæmone fateri videtur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Secundò ideò proba aquæ frigidæ purgatio vulgaris eſt, quia ab ea vel veritas culpæ vel innocentiæ planè incertâ contigentia dependet, & nihilominus poſſibile eſt, quod in aqua frigida itâ mali ſubmergantur ſicut boni. Sed neutrum eſt in probatione ſtigmatum. Non prius, quippe ſi appareāt in corpore alicuius denunciatæ aut incarceratæ perſonæ tales notæ inuſtæ ita vt in inquiſitorum ſenſus incurrant, arguitur meritò ex deprehenſo ſigno Diabolico viſibili & perceptibili eius ſignatum & proprietas, per rationes in iure diuino, Canonico & ciuili fundatas *in Sectione 11.* ſuperius deductas: Sin verò non apparent, quia Diabolus eadem ſtigmata recondit, vel in locis occultis infigit, vt ab inquiſitoribus deprehendi nequeant, vti priori caſu perſonam notatam ex ſigno apparenti de reatu magis ſuſpectam habet: itâ tunc poſteriori caſu, non euidenter notatam nō illicò abſoluit, quatenus ex alijs indicijs animū ſuū ſatis inſtruere poteſt: Neutro tamē caſu, de occultis diuino iudicio reſeruatis temerariè aut modo prohibito iudicat, niſi quis crimē veneficij occultū planè à Nemeſi & vindicta humana eximere velit, q̄ abſurdum eſt.

Non poſterius, quia, vt inferius tractabo, nocentes pariter ac innocentes ſtigmate tali Diabolico notari poſſe, diuinæ prouidentiæ, iuſtitiæ, & omni rationi contrarium eſt.

Sed inſtant DD. Louanienſes & Leodienſes hoc modo: *Aequalis eſt poteſtas phyſica Dæmonis in innocentem & nocentem, & non eſt maior diſpoſitio phyſica ad ſuſcipiendum illum characteriſmum in corpore nocentis, quâm innocentis: Ergo ſpectando vires naturæ, æquè poteſt vterq; illo charactere notari; Quod autem Deus permittat tantū hanc operationē in maleficam, nullo certo argumento cōſtat: quia ex occulto ſuo iudicio Deus aliquādo deteriora permittit Dæmoni circa innocētē. ſic .n. homines aliquādo ſine ſua aut ſuorū culpa actuali à Deo poßidētur, &c.*

Vtque hoc argumentum, quod apparenter ſpecioſum valdè videtur, penſiculatius conſideretur, & quantum noſtrarum virium eſt, ſolidè diſcutiatur præſupponendum eſt hoc euidentiale. Primò ominor DD. cōſultores in hoc argumento ſuo per Nocentes intelligere verè ſagas, per innocentes autē à crimine ſortilegij quidē immunes, peccato tamē mortali aliquo contaminatos, & ſic videtur prima fronte illud ita poſſe ampliari, quod Dominus Deus vnicuiq; hominum dederit gratiam quidem ſufficientem, non autem efficacem propter liberum arbitrium, hinc fit, vt ſi homo mortaliter peccet, gratia ſtatim diuina excidat, & ſecundum animā moriatur *Iacob. 1. Ezech. 18.* & à Domino ſuo, quē is peccando mortaliter turpiter antea deſeruit, viciſſim iuſto iudicio derelinquatur & ab hoſte, qui expetiuit SS. Apoſtolos cribrare ſicut triticū monēte Saluatore noſtro *Matt. 16.* minitāte Propheta *Iſai. c. 1. in fin.* cōſumatur, & in animæ ſimul & corporis periculū adducatur, ac ſic charactere aliquo inuratur.

Verum

Verum licet magna ſit Dæmonum naturalis poteſtas, quam ab initio ſuæ productionis ſuſceperunt cum ſua natura, quæ etiam poteſtas ſicut & ipſa natura angelica in ipſis perſeuerat. *Iob c. 40.* Hæc tamen naturalis illorum poteſtas ligata eſt diuina virtute, ne quicquam eorum, quæ volunt circa homines, quibus inimicantur, facere poſſint, niſi ſpecialiter à Deo acceperint permiſſionē, quoties & in quantū diuinæ Maieſtati placuerit, vt patet in hiſtoria Iobi, cuius iudicia, quam vis ſint incōprehenſibilia, tamen irreprehenſibilia. *Fr. Nicol. Iaquer. in flagell. hæret. faſc. cap. 25.*

Cum autem in occulto Dei iudicio & ſecreto conſilio fiat permiſſio, qua ſæpè Dæmones accipiunt poteſtatem exercendi ſuam naturalem poteſtatem circa homines. Non poteſt huiuſmodi cōceſſio hominibus eſſe nota, niſi vel per reuelationem certam, vel per aliquē effectum poteſtatis huiuſmodi, quem Dęmones accepta poteſtate faciunt, de quo effectu conſtat, ꝙ procedat à poteſtate Dæmonum. De reuelatione ſiquidem, ſicut patet, quod diuina ſcriptura aſſerit Dæmonē operatum fuiſſe circa Iob, Saul, & cæteros quamplurimos, ſed tamen nunquam tali modo, vti in quæſtione noſtra. De effectu autē, ſicut de B. Martino recitatur; Quod cum Diabolus apparuiſſet ſibi in forma humana, & ipſe ſignum crucis feciſſet, Diabolus euanuit, ex quo apparuit manifeſtè fuiſſe opus Diaboli, & Deū tunc permiſiſſe ſiue conceſſiſſe Diabolo poteſtatem permiſſionis ad faciendum prædictam apparitionem. Quamuis igitur humanæ notitiæ ſatis conſtet, de conceſſione naturalis poteſtatis, quæ ſemel tantum à Deo facta eſt Dæmonibus à ſua creatione. Conceſſio tamen ſecundæ poteſtatis ſiue permiſſionis, quæ dietim fit Dæmonibus, eſt nobis penitus ignota, quia non aſſumus conſilio Dei. Et idcircò præſumptuoſum & periculoſum eſt credere vel aſſerere huiuſmodi permiſſiones ſingulares fieri niſi pro quanto ſufficienter conſtat, vel reuelatione, vel ex alicuius facti euidentia, ꝙ quidem euidens factum eſt effectus poteſtatis Dæmoni collatæ, occulto iudicio. Quemadmodū igitur, ſi quis accuſatus per cōplices, quod fuerit viſus in congregatione ſiue Synagoga, aut fur in furto, adulter in adulterio deprehenſus aſſerat in ſuam defenſionem, Dæmonē feciſſe hanc repræſentationem, quam non faceret, niſi accepta ad hoc diuina permiſſione, quæ ſemper fit in occulto, vt dictum eſt: Ita etiam imò fortiori ratione, ſi in incarceratarum perſonarum corporibus deprehendantur ſtigmata, eæq; allegent, talia etiam in corporibus innocentiū à Diabolo ex permiſſione ſpeciali diuina impreſſa reperiri poſſe, eiuſmodi exceptionem ſuam probare debent. *arg. l. 1. ff. de Except.* Si enim hæc faſcinariorum defenſio admitteretur, tunc ex hoc maximè auferretur & præcluderetur via ad extirpandum hanc peſſimam faſcinariorum Sectam, & daretur audacia intolerabilis, & incentiuum non modicum ampliandi & multiplicandi hanc ſectam, ſi nec eſſet

ſtandum teſtimonio complicum & participum, contrà, *cap. in fidei fauorem. De hæret. lib. 6.* Nec hiſce ſtigmatibus in corpore ſuo repertis. Hinc ait *Fr. Nicol. Iaquer. in flagell. hær. faſcin. cap. 26.* Si accuſatus à complicibus (idem eſt in deprehenſis ſtigmatibus) dicat quod Dæmon fecit de eo repræſentationem, vel eidem innocenti hos characteres inuſſerit; Ei regeri poteſt, quod Dæmon non potuit hoc facere, niſi ad hoc accepta permiſſione à Deo. Si vlterius dicat, quod Deus permiſit. Reſpondeatur quod hoc allegans debet ſufficienter probare, & ſuper hoc debitè iudicem informare, quod ſi non fecerit, non eſt credendum ei, quia non adfuit cõſilio Dei. Quemadmodũ ſi aliquis accuſatus à furibus, quod certis loco & die fuerit cum ipſis in furto, & allegauerit ſe fuiſſe dictis loco & die alibi, ſic, quod non tunc potuerit eſſe cum furibus, niſi hoc ſufficienter probauerit, non ſuffragatur, nec prodeſt ei huiuſmodi allegatio, ſeu defenſio: Ita nec dicenti vel alleganti falſam de eo factam repræſentationem, aut ex ſpeciali Dei permiſſione à Diabolo extra criminis veneficij reatum falſam ſibi factam inuſtionem, excipienti, non magis fides adhibenda, quàm ſi Geneuæ liliatus cauterio iuſſu magiſtratus propter adulterium, transfugeret in Picardiam, ibique propter idem flagitium captus, publica nota inuſta in corpore eius deprehenſa, is pro ſui exculpatione allegaret, ſibi nõ propter delictum iuſſu magiſtratus, vt ex eo reus argui poſſit, ſed à Diabolo permiſſu ſpeciali diuino vſtulationem factam eſſe; Nam vt ait. *Petr. Binsfeld. confeſſ. malefic. in ſolut. argum. pag. mihi 384.* Si hoc argumentum tàm validum eſt, apud Magicæ artis patronos, quod Diabolus ſitientiſſimus damnationis & humanæ perditionis poteſt ſe transfigurare in angelum lucis, ad infamandum innocentes: quomodo non habent lynceos, ſed clauſos oculos, vt videant argumentum non ſolum militare in crimine maleficij, ſed in alijs omnibus? Quod ſi conceſſerint: furibus, latronibus, coniuratoribus, adulteris & ſimilibus, ſingulare præſtiterint patrocinium, & iuſtitiæque ſalutique reipublicæ magnum detrimentum. Si enim Diabolus ſecundum eos, poteſt repræſentare innocentes in forma homicidæ, adulteri vel fornicatoris, vt etiam ex exemplo S. Syluani conſtat, cum omnium innocentum maximè interitũ exoptet? Accuſatur ergo quis homicidij, latrocinij, adulterij, vel alterius criminis: ſint duo vel tres teſtes: excipiat negando factum, & reſpondendo, Diabolum ſe transformaſſe in ſuam formam & facinus perpetraſſe, cum etiam ſe poſſit transfigurare in Angelum lucis, multò magis in formam hominis: maximè cum nihil magis deſideret, quam interitum animarum: Negare autem, quod Diabolus in forma humana occidere furari, ſcortari & ſimilia perpetrare valeat, ſi à Deo permitteretur, veritatem eſt impugnare. Hactenus *Binsfeld.* *Qui loco citato paulò ſuperius*

ait;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ait ex communi Theologorum vera doctrina, non eſſe permiſſam diabolo tantā poteſtatem ſuper iuſtos, ſicut impios & malos, Gaudent enim iuſti, vtpote amici & filij Dei, multis priuilegijs, quibus peſſimi & malefici, maximè ob criminis immanitatem, tanquam inimici & hoſtes tam diuinæ maieſtatis, quam cōmunis ſalutis iuſta diſpoſitione priuantur. Hoc enim diuinę legis ſtabiliunt promiſſiones, vt in *Pſalm. 9. Qoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum*: Et iterum: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinques quarentes te Domine*: Et iterum: *Clamauerunt ad me iuſti, & ego exaudiam eos*: Item: *Qui ſperat in Domino non confundetur*: *Et 2. Petr. 2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere.* Idque exemplificat in Suſanna iniuſtè infamata, à Senibus accuſata, & morti adiudicata, à Daniele mirabiliter liberata *Dan. 13. v. 54.* S. Athanaſio, S. Syluano, alijſque, Tu adde & aliud, quod legimus in vita S. Eliſabethæ reginæ Luſitanię, quę cum falſo eſſet accuſata apud regem *Dionyſium*, quod pediſſequum quendā adamaret, rex credulus pediſſequum neci, puta incendio deſtinauit, vt in fornacem calce ardentem proijceretur. Secretò ergo iuſſit præfectis fornacis, vt pediſſequum quem poſtridie manè eò miſſurus erat rogaturum, an perfeciſſent id quod rex iuſſerat, illicò in fornacem conijcerent. Itaque manè eò pediſſequum mittit: Ille in via audit pulſari ad ſacrum in Eccleſia vicina: eò diuertit, audit ſacrum vnum, alterum & tertium. Interim rex putans eum iam in fornacem coniectum, mittit alterum pediſſequum prioris æmulum, qui eum æque ac reginam falſo accuſarat: Venit ille, rogat num peracta ſint quæ Rex iuſſerat. Prefecti ex indicio à rege dato, putantes hunc eſſe, quem Rex fornaci deſtinarat, ſubitò eum arripiunt, & in fornacem intrudunt. Superuenit deinde finitis Miſſæ Sacris, pediſſequus prior, quem Rex neci deſignarat, rogat fornacis cuſtodes, an regis iuſſa compleuerint. Affirmant illi: redit pediſſequus ad regem, idque renunciat. Obſtupeſcit Rex, remque inueſtigans reperit alium, quem ſubmiſerat, concrematum. Rogat ergo nuncium, vbi tam longas moras traxerit. Reſpondet ille, ſe audito pulſu rei ſacræ interfuiſſe, eò quod pater moriens ei hoc monitum dediſſet, vt ſacrificijs omnibus, quæ inchoari vidiſſet, aſſiſteret, donec illa finirentur. Intellexit inde Rex innocentiam Reginæ & pediſſequi, ac calumniam æmuli, iuſtumque Dei iudiciū, qui necem, quam ille inſonti ſtruxerat, in ipſiuſmet ſontis caput retorſerit. *Chron. Sanct. Franciſci. part. 2. lib. 8. cap. 28.* Huic ſententiæ etiam calculum ſuum adijcit *Martin. Del Rio. lib. 5. Diſquiſit. Magic. Sect. 16. in fin. 5. arg. Bart. Spin. in quæſtion. De ſtrigib. cap. 14. & in Apolog. 3. cap. 3.* Plura exempla miraculoſæ liberationis condemnatorum à pœ-

na omnimodò inchoata refert *Boër. deciſ. 217. num. 19. & Luc. de Penna in l. 1. C. de omni agro deſerto.*

Secundò reſpondetur ad hanc obiectionem, quod maxima ſit differentia inter Chriſtianos mortaliter peccantes alijs peccatis, & inter maleficos Deum abnegantes. Sicut enim non omnis mortaliter peccans eſt hæreticus, vt docet *Franciſcus Squillacenſis de fide Catholic. capite 22.* Ita non omnis peccans abnegat Chriſtum eo modo, quo malefici. Ad cuius rei declarationem notandum ex *Sancto Thoma 2. 2. quæſtione 12. artic. 1.* & alijs Theologis alibi, quod Apoſtaſia importat retroceſſionem quandam à Deo, quæ quidem diuerſimodè fit ſecundum diuerſos modos, quibus homo Deo coniungitur, homo autem Deo coniungitur tum per fidem, tum per debitam & ſubiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius: tum per alia ſpecialia ad ſupererogationem pertinentia, ſicut per religionem, clericatum aut ſacrum ordinem. Nunc ad argumentum. Impropriè eſt apoſtaſia, quando aliquis recedit à Deo per inobedientiam, & tranſgreſſionem mandatorum Dei & non ſubdit ſuam voluntatem diuinis præceptis, vt contingit in omni peccato mortali. At propria & peſſima eſt apoſtaſia, omninò à Deo recedere per expreſſam abnegationem nominis, & renunciationem profeſſionis in Baptiſmo ſuſceptæ, quod eſt ſtatum religionis derelinquere, & ſeruitutem Dæmonis aſſumere: quod nullus hominum facit præter maleficos; Nam, vt ait, *Iulius Cæſar Bulenger. de Licita & vetita Magia. libro primo capite 20.* Solennis modus ſacrilegæ profeſſionis in duobus conſiſtit: quorum vnum eſt, vt qui iam initiati fuere, ducti ab aliquo ex profeſſis in publicum locum in quem certis diebus conuenire ſolent, præſente Dæmone, qui hirci formam induit, ac ſtipulante, Chriſtianam fidem eiurent: Dæmoni autem ſacramento dicant, recepturi ab eo quicquid petierint. Alterum vero vt magiſterulo, quem vocant, promittant animæ & corporis Dominium: quod aut eodem tempore præſtant, aut in futurum, poſtquam agnouerint eos toto corde confirmatos in ſcelerata profeſſione, quibus peractis iam ad nefandiſſimos ritus accedunt: nam iubent infantes rapi, ceremonijs quibuſdam profanis immolari: poſtea decoqui, donec tota caro in ſuccum contabeſcat, & de ſolidiori materia vnguentum parari, quo perunctos transformari, & per aërem ferri poſſe: reliquum liquorem in vtre ſeruari, cuius potu ceremonijs quibuſdam adhibitis conſcios totius pertentoſæ artis reddi. *Hactenus Bulenger. citation. loco.* Dicitur autem largo modo infidelis & fidem negare, qui non ambulat ſecundum legem mandatorum DEI, quatenus non operatur conformi-

ter ad præſcriptum fidei. Simile exemplum habere poſſumus in odio Dei. Omnis enim mortaliter peccans aliquo modo Devm odio proſequitur. Nam ſcriptum eſt, qui malè agit, odit lucem: non tamen omnis peccat peccato odij Dei ſpecialiter ſumpti, contra charitatem Dei, vt apud Theologos in confeſſo eſt. At quod penitus intelligendum, obſeruandum eſt cum *Scoto. in 2. D. 37. Gabriel. Ibid. d. 35. quæſt. vn. artic. 4. num. 1.* Quod auerſio à fine vltimo, ſcilicet Deo, duplici modo intelligi poteſt: Formaliter & virtualiter. Formaliter quando in auertendo habet vltimum finem pro obiecto poſitiuè, vel priuatiuè. Poſitiuè, vt ſcilicet voluntas nolit illum finem actu poſitiuo: Et hoc eſt propriè odio proſequi Deum, & formaliter proprio peccato ſe auertere à Deo, nec aliud hoc peccatum habet obiectum à Deo, virtualiter auertitur à Deo quando auertitur ab aliquo neceſſario ad conſequendum vltimum finem: Sicut infirmus dicitur ſe auertere à ſanitate, quando auertit ſe à poculo amaro, ſine quo non poteſt haberi ſanitas. Auerſio formalis conſtituit diſtinctam peccati rationem, nec formaliter includitur in quolibet peccato mortali, ſed efficit ſpeciale peccatum, ſcilicet odium Dei, in qua eſt epitome ſcelerum horum. 1. Apoſtaſia. 2. Sodomia nefandiſſima per concubitum cum ſuccubis & incubis Dæmonibus. 3. Homicidium, quod ex multis capitibus eſt enorme. 1. quando occidunt proprias proles, vel parentes aut coniuges, & horum ſimilitudine, quando Monachi vel Monachæ necant ſuos collegas vel conſorores. 2. quando nondum baptiſatos & animam perdunt cum corpore. 3. Quando ad necem accedunt decoctiones illæ, aut antropophagiæ. 4. Si veneno necant. 5. Quando necant proditoriè ex pacto mediante ipſo Dæmone, &c. 4. Peccatum, Transfugium. 5. Sacrilegium. 6. Sepulchrorum violatio. 7. hæreſis. 8. Inceſtus. 9. Adulteria. 10. Blaſphemiæ, &c. Vide ſententiam Auinionenſem ſuperius traditam, & *Delrium. Diſquiſ. Magic. libro 5. ſect. 16.* Virtualis autem auerſio communis eſt omni peccato mortali. Quia in omni mortali voluntas inordinatè ſe habet, reſpectu alicuius neceſſarij ad vltimum finem, ratione diuini præcepti. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei.* Conformi ratione in noſtra materia dicere poſſumus, non omnis peccans formaliter Deũ abnegat, vel explicitè, vt aliqui dicunt, quẽadmodum malefici & ſagæ, qui expreſsè Deo, profeſſioni in Baptiſmo ſuſcepto, & communioni ſanctorum abrenunciant, & declinant ad inimicum, eiq; ſuam operam addicunt; quod nec etiam hæreticus facit, qui quamuis proprio ſenſu ductus aliquem fidei articulum ex errore neget, quem putat non eſſe articulum fidei, nec ex

pertinacia vult ſuum iudicium Eccleſiæ ſubmittere, tamen non abnegat, nec quidem ab negare DEVM cogitat modo prædicto. Quod fortaſſe obijcitur abnegatio D. Apoſtoli Petri: nihil facit ad propoſitum. Quæ enim eſt ſimilitudo illius negationis & abrenunciationis maleficorum & ſagarum? Petrus metu mortis Chriſtum quidem ore negauit, non tamen ab eo corde receſſit, nec in partes Iudæorum declinauit, nec conſilium aut pactum inijt contra Dominum ſuum, At malefici à Dæmone tentati in tam crudele facinus perfidiæ conſentiunt, vt abiurent ſuam profeſſionem, Dæmonem ſequantur, venerentur, ac cum eo conſpirent contra regnum Dei. Sanctus Petrus ſtatim ad corredijt, peccatum defleuit, & reuerſus eſt ad Dominum: Sed Sagæ & malefici & ſi à Dæmone ſe deceptos recognoſcant, perditum tamen ſtatum ſequuntur, & indies in peius relabuntur, nec reſipiſcunt. Fatendum enim eſt id, quod omnibus notiſſimum, humanum eſſe cadere, quod & Petro accidit, ſed Diabolicum perſeuerare, quod ferè omnibus maleficis conuenit. *Binsfeld. d. l. 5. C. De Mathem. quæſtion. 1. concluſ. 3.* Deinde B. Petrus tantum peccauit contra præceptum confeſſionis fidei, fidem verò nequaquam amiſit: Malefici autem fidem corde & ore abijciunt, idque ſponte, nullo vrgente metu. *Delrio. d. lib. 5. ſect. 16. in 6. argument. Fr. Nicol. Iaquer. in Flagell. hæret. Faſcin. c. 27.*

Tertiò reſpondetur: Nulli licet de iure ciuili ſignum ſuum rebus alienis imprimere ante ſententiam. *t. t. C. vt nemini liceat ſine iudicis authoritate ſigna rebus imponere alienis.* Aliàs impoſitum illud aduerſarius (præſertim ſi ſit potentior Dominus Creator & iudex & ſignatis, & rei ſignatæ, vti hic) ſua authoritate poteſt detrahere. *argum. l. Si vitem. 22. §. Si ad ianuam. 2. ff. Quod vi aut clam. Paul. Chriſtin. in deciſ. Belgic. deciſ. 111. num. 1. Hieronym. de Cauall. in ſpec. comm. opin. quæſt. 745.* qui in illum ſenſum allegat. *l. 1. C. de Nauib. non excuſand. lib. 11. Fr. Nicol. Iaquer. in flagell. hæret. Faſcin. cap. 27.* Cum ergo peccatores vel etiam mortaliter peccantes characterem Dominicum adhuc portant, in *cap. diſplicet. cauſ. 23. quæſtion. 4.* nec perinde vti Malefici excommunicati aut à corpore Eccleſiæ abſciſſi illico ſunt, textus expreſſus in *Epiſt. Inter Claras. §. Liquet. v. ſed quia, C. de Summ. Trinit. vbi Gothofred. & l. 4. C. de Apoſt.* imò in vltima mortis hora per pœnitentiam ad Dominum Deum ſe ſe conuertere poſſunt, *Ierem. 5. Ezech. 22. Eſaiæ. 65.* arbitrandum non eſt Deum permiſſurum, vt illis ſignum beſtiæ, de quo dicitur *Apocalypſ. 7. & 13. cap.* & quidem inimici ſui, & totius generis humani antè ſententiam definitiuam, id eſt, particulare iudicium, ab aduerſario ſcilicet Diabolo imprimatur. arg. eorum quæ tradit *D. Apoſt. Paul. 1. Corinth. 10. verſ. 13.* Tum, quia quamuis ante Chriſti aduentum in hunc



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mundum is ſolutus fuerit, tamen Chriſtus in mũdum veniens ipſum ligauit. *Matth.12.verſ.29. Apocal.20.verſ.1.Auguſt.ſerm.267.de Tempore.* Hinc rectè ait *S.Bernardus. Videte fratres, quam debilis eſt hoſtis noſter, qui non vincit, niſi volentem. R. P. Alphonſ.Roder.in exerc.perfect.tract.4.c.11.*

Replicant conſultores: *Quod Deus permittat tantum hanc operationem in maleficam, nullo certo argumento conſtat: quia ex occulto ſuo iudicio Deus aliquando deteriora permittit Dæmoni circa innocentem, ſic enim homines aliquando ſine ſua culpa actuali à Dæmone poßidentur, &c. Vnde S.Heronym. Epiſtol. ad Paul. de dormitione Bleſillæ, in ſcrutabili Dei iudicio, cauſas eiuſmodi vexationis putat relinquendas.*

Sed Reſpondetur, Quando D D. conſultores permiſſu diuino à Diabolo obſideri, quam ſtigmatizari deterius eſſe autumant, malum ipſorum præſuppoſitum eſt, quandoquidẽm characteriſmorum eiuſmodi Diabolicorum inuſtio, animæ amortizationem & eiuſdem in animam & corpus fortiariorum proprietatẽm, dominium nec non præuiam confœderationem, apoſtaſiam, & ſodomiticam commixtionem arguere ſuperius *ſectio 11. & ſectione 8.* per ſententiam Auinionenſem probatum fuit; & exinde vlterius patet, quia vt ſcribit *Victor Vticenſis. libro 3. VVandal.* Arriani ſub Hunerico rege cogebant Orthodoxos à ſacerdotibus Arrianis rebaptizari, & huius rei Chyrographum ideò eis tradebant, vt oſtenderent ſuam mortem, id eſt, ſe eſſe ab eis rebaptizatos, quod erat peccatum mortale, mortemque animæ attulerat. *R. P. Cornelius à Lapide. Apocalypſ. 13. verſ. 16.* Adumbrat illud ipſum etiam non ineleganter in eundem ferè ſenſum *Imp. Leo. in Nouell. conſtitut. 65. de pœna incantatorum*, his verbis. Notum enim nobis eſt illas, vt qui ſe ipſis dedunt, præ Creatore & Domino infauſtis diriſque Dæmonijs adhæreant, efficere: & qui illas aſſectantur, hos per externarum rerum lætam quandam ſpeciem VVLNERA IN ANIMAM excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticuloſis frequenter accidit, qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput vel ventrem exponunt. Quantò autem grauius & infelicius ſit hoc modo dæmoniacum eſſe, & à Cacodæmone tàm turpiter notari, quàm corpus ab eodem poſſideri, argumento eſſe poteſt ipſa Eccleſiaſtica diſciplina. Ab Apoſtolo enim corpus traditur Sathanæ, vt Spiritus ſaluus fiat. *1. Corinth.5. 1. Thimoth.1.* Vnde ait *S. Chryſoſtom.* Homil. 41. in Act. Apoſt. *Peccatum grauius eſt Dæmone. Nam ille quidem humiles facit. Annon videtis Dæmoniacos, quando reſipuerint à morbo, quam ſint ſubmißi, quomodo intueri non audent. nos contra in iuſtitia afficientes non erubeſcimus.* Latè. *Thom. Stapleton. in prompt. moral. Dom. 3. Quadrageſ. num. 1.* Deinde quia Veneficus per manifeſtam apoſtaſiam, abrenunciationem, Sodomiam aliaſque

abominationes ex propoſito & deſtinata ſua voluntate recedit, quod in quouis mortaliter peccante non perinde eſt, valde probabile videtur ex permiſſu Diuino eidem duntaxat hoc contingere, quod olim illi militi, de quo *Seneca libro 4. De benefic. cap. 37.* Philippus Macedo militem aliquò miſerat, cum certis mandatis: qui cum tempeſtatibus ad littus repulſus & ſęuitia tempeſtatis languefactus eſſet, exceptus eſt à vicino ruſtico. Apud hunc cum per aliquot dies recreatus vires iterum recollegiſſet, redit ad regem, ac periculum narrat, ruſtici beneficia non recitat, ſibi verò donari villam eo loco ſitam teſtem ſui periculi petit. Rex liberaliter donat. Cum autem miles veniſſet occupaturus villam ruſticus ad regem accedit: narrat à ſe ſeruatum eſſe militem, & pro beneficio ſe expelli ex ſuo. Hic Rex donationem retractat, & ruſticum iubet retinere ſuum prædium, ac militi ingrato iubet inuri Stigmata in fronte: MILES VEL HOSPES INGRATVS.

Progrediantur autem vlterius dicti DD. Conſultores aliter thema ſuum exemplificando his verbis, *Similiter Dæmon poteſt morbis & alijs malis afficere innocentes, ita percuſsit Iobum vlcere peſsimo à Planta pedis vſque ad verticem capitis, & D. Paulo datus eſt ſtimulus carnis Angelus Sathanæ, qui eum colaphizet: Cum itaq; electos ſuos Deus permittat à Dæmone vexari nulla certa ratione conſtat illa ſtigmata ex permiſsione Dei à Dæmone innocentibus nunquam imprimi: præſertim ſi concurrat opera alicuius Magi aut Sagæ conuenientis cum Dæmone de ſtigmate corpori innocentis imprimendo: longè amplius enim permittitur Dæmoni nocere, quando cum ipſo concurrit homo, quam quando per ſe ſolum operatur, Malder. de Mag. dub. 8. Et ita conſequenter fallax videtur illud indicium, & ſic reijciendum, ex generali regula, quam tradit Stephan 5. cap. conſuluiſti. cauſ 2. q. 5. vbi reiectis aliquot vulgaribus probationibus, quæ tunc erant in vſu, generalem regulam ſubdit. Quod SS. Patrum Documentis ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum: Spontanea enim confeſsione, vel teſtium approbatione publicata delicta commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare: Hactenus DD. conſultores.*

Huic obiectioni Reſp. 1. Nunquam quidem deeſt Dæmonibus vti & eorum inſtrumentis maleficorum ſcilicet deprauata voluntas, & naturalis poteſtas, vt ſupra etiam attactum, quamuis ſit ligata, ſed ſemper deeſt eis permiſſionis diuinæ poteſtas, niſi quando & quantum denuo DEI prouidentia eis conceſſerit, *Iohann. Filleſac. Theolog. Pariſ. de Idololatr. magic. §. 2.* alias celeriter cunctos homines quorum omnium inimici implacabiles ſunt, & eorum cuncta bona exterminarent, idque patet in allegatis exemplis, & quidem primò legitur, quod Sathanæ cupienti tentare Iob dedit Deus poteſtatem, non tamen ſuper

eius perſonam. Scribitur enim Dominum dixiſſe ipſi Sathan: vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantum ne extendas manum tuam in eum. Accepta igitur huiuſmodi permiſſionis poteſtate Sathan cuncta bona Iobi exteriora conſumpſit; veruntamen in eius perſona nihil operatus eſt, quia conceſſa ſibi poteſtas permiſſionis non ſe extendebat ad perſonam Iob. Conſequenter autem quadam alia vice Sathan accepit à Domino poteſtatem permiſſionis ſuper perſonam Iobi citra tamen mortis illationem: Potuit namque Sathan ipſum S. Virum flagellare prout fecit, occidere autem non potuit. *Iob. 2. cap.* Ad quamlibet igitur Dæmonis operationem circa homines, requiritur cum naturali Dæmonis poteſtate, poteſtas diuinę promiſſionis. *Auguſtin. libro 3. de Diuin. Dæmon.* Et per hanc probatus fuit Iob. Cuius etiam perfectio patientiæ cunctis cognita fulget, & exemplum ſalutare præbet: Non prouenit autem ſibi hæc vtilitas ex intentione Diaboli flagellantis, qui potius intendebat eum inducere ad impatientiæ culpam. Sed prouenit ex diuinæ prouidentiæ diſpoſitione, quæ nouit de malis bona elicere, Si autem velit quis obijcere, quod Devs aliunde, quam per Dæmonis operationem, potuit illam perſecutionem Iob permittere. Reſpondetur, Iob non habuiſſe hominem inimicum, qui in tantum ſibi aduerſaretur, quod vellet tam crudeles moleſtias aduerſus ipſum exercere, Devs autem non eſt odiorum ſiue inuidiarum ſuſcitator. Ne igitur tantis meritis & gloria careret: permiſit fructuoſiſſimè Devs ipſum grauiſſimè à Sathan flagellari, & placuit Deo patientia Iob probata, quamuis ſibi non placeat Diaboli flagellantis malignitas. Ita etiam B. Paulo profuit Sathanæ colaphizatio, qui rogans ter Dominum, vt diſcederet ab eo Sathanæ colaphizatio, audiuit reſponſum: ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *2. Corinth. 12. Fr. Nicol. Iaquer. in flagell. hæretic. faſcin. capite 20.* Eleganter igitur diſtinguit *Sanctus Auguſtinus*, libro de Geneſi ad literam capite 12. his verbis. *Sub diuina prouidentia ipſe Diabolus ſuam quidem habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non niſi quæ datur, vel ad ſubuertenda, vel perdenda vaſa iræ, vel ad humilianda, ſiue probanda vaſa miſericordiæ.* Sed qualis hinc alius eſſet prouentus, ſi iuxta DD. Conſulentium opinionem innoxij pariter ac ſontes permittente Diuina id ipſum prouidentia tàm fœdè ſigno ſcilicet beſtiæ vſtularentur, quam quod Sacroſancta iuſtitiæ officina conturbetur, Diaboli contra Devm partiarijs, ad diuinam iniuriam, patriæ perniciem & Eccleſiæ Catholicæ peſtem ſedula & fidelis opera nauetur, & Sathanæ regnum à metatoribus Antichriſti propagetur: Quos atheiſmi non immerito inſimulat ideò *Delrio lib. 5.*

*Diſqui-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Diſquiſit. Magic. Sect.* 16. quia putant prouidentiam DEI ſinere innoxios à *Dæmone* infamari, repræſentari, & tandem ſupplicio affici, quaſi DEVS ſcilicet iuſtorum proditor, & non protector eſſet. Taceo nunc quod illę plagæ, vlcera & vulnera quæ tum ſancto Iobo, tum Apoſto Paulo à *Diabolo* inflicta ſunt, nullam affinitatem cum ſtigmatibus ſagarum inſenſibilibus & exanguibus habeant: Quippe non ſolum Sathan Iob percuſſit vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, ſed inſuper totius carnis putredine, vt proinde dicant veteres è corpore vermes ebullijſſe, dicente *Cyprian. de bon. pat. num.* 7. *Tabeſcentes ac fluentes artus edax quoque pœna vermium conſumit.* Et Auguſtino in Pſal. 103. conc. 4. *Contabeſcebat putredine, ſcatebat vermibus.* Erumpentes autem beſtiolas in eoſdem ſpecus & paſtus foraminoſæ carnis ludendo reuocabat, inquit *Tertullian. de Pat. capit.* 14. vt ſcilicet magis ac magis patientiam exerceret. Idem ferè ſuperius dixi de D. Apoſtolo Paulo *Sect.* 6.

Inſuper non refragatur Regula à D D. conſulentibus ex *capit. conſuluiſti. cauſ.* 2. *quæſtion* 5. allegata, omnes probationis vulgaris ſpecies reijciens: Cum in reſponſione prima ad primum contrarium latè ſit reſponſum, hanc probationem per ſtigmata cum purgationibus vulgaribus in definitione nullatenus participare: Proinde hic retorquendo reponimus, Quod SS. Scripturæ textibus, Canonicis vaticinijs & SS. Patrum documentis ſancitum, & ſpontanea Sagarum pœnitentium confeſſione vnanimi & notoria ſenſuum viſus & tactus in multorum teſtium omni exceptione maiorum præſentium demonſtratione, exploratione & experimento rationabili comprobatum, nullatenus ſuperſtitioſum, ſed planè legale eſt. Sed probatio per ſtigmata eſt talis, vt probaui in ſuperioribus aliquot ſectionibus fusè, præcipuè in reſpon. ad 1. argumentum, Ergò &c.

Subrutis taliter hoſtium mœnibus, cominus res agenda, & alterum quaſi arundineum telum aduerſariorum confringendum eſt, in quo ſupponitur quaſi pro vniuerſali & neceſſario, *Quod explorans ſtigmata, præſertim ſi ſit aduerſarius accuſati, poteſt iudicibus cicatrices vulnerum, vel vlcerum, aut maculas naturales oſtendere tanquam ſtigmata, & facta apud ſe adiuratione acus, qua ſtigma explorat, ſanguinem proprijs incantamentis ſiſtere, prout pueri ludicrè ſæpè faciunt. In quo caſu, ſola miniſtri malignitas grauabit innocentem: neque iudicibus vllo modo conſtare poterit, an conſiſtentia ſanguinis fiat ex accuſati reatu, an ex miniſtri malignitate, an ex naturali impedimento ſanguinis per alias torturas eius, qui accuſatur, & per recurſum ad cor, aut per metum, & ei concomitans frigus conſiſtentis.*

Sed

Sed reſpondetur, quod non probet hoc eſſe quod ab hoc contingit abeſſe, ſcilicet frequenter & facilè. *Gloß. in l. neque Natales. 10. C. de Probat.* Quandocunque enim oppoſitum conſequentis poteſt ſtare cum antecedente, tunc nulla fit probatio, quæ concludat, quatenus ex ſeparatis nihil infertur. *Sich. ad d. l. 10. C. de Probat. n. 2.* Nam ad ea, quæ perrarò procedunt, iura noſtra non adaptantur. *l. 3. 4. 5. & ſeqq ff. de LL.* nec præſumuntur inſolita. *l. ſi quando 35. C. de inoffic. teſtam.* Sed æquè poſsibile eſt, vt in probatione ſtigmatum, nulla ſpiculatoris aut capitalium ſcelerum vindicis, (ſic enim appellatur. in *l. Diuus 6 ff. de bon. damnat.*) malignitas intercedat; quid ſi enim non vna certa incantamentis eius contaminatâ, ſed aliâ aliquâ aciculâ, non ab eodem, ſed inquiſitoribus ipſis (quorum arbitrium vel maximè in eo verſabitur, quatenus illi ſecundum acta & probata iudicare debent. *l. Illicitas. 6. §. veritas. 1. ff. de offic. Præſid.*) adhibeatur? Vel etiam experimentum cum vno eodemque ſtylo in locis diuerſis, vno ſano, altero mortificato & quidem aliquot repetitis vicibus, cum dijudicatione ſemper loci ſanguinei & exanguis maioris diſcretionis ergò fiat? Sanè vti & alias pro iudicibus & inquiſitoribus vigore iuramenti præſumitur, quod circa probationem ſtigmatum & cōprehenſæ perſonæ anterioris vitæ acta atque indicia alia qualiacunque diligentiſſimè inquirerent & eadem quā diligentiſſimè aduertent ſcituri, quod non magis alios iudicant, quā ipſi iudicantur. *l. 14. C. de iudic. Luc. 6 verſ 37.* Perinde in dubio idem in carnifice & quocunque executore iuſtitiæ fieri debet propter eius iuramentum *arg.* eorum, quæ tradit. *Bald. in tit. De pac. iuram firmand. §. ad hæc. verſ. quæ dixi.* regulariter enim baiulo merces portanti de proprio facto teſtificanti, credendum: vti & Medico vnico, Paſtori vnico, & ſoli nuncio iurato de executione citationis. *Gloß. in c. Cum parat. in verb. ſuus nuncius. de Appell. l. 7. menſe. 12. ff. de ſtat. hom.*

Taceo nunc, quod propter abuſum, qui aliquando poteſt ex bonis rebus ab improbis committi, res ipſæ bonæ non ſint improbandæ, non ob adulterium, matrimonium; non ob inceſtum, caſtitas veſtalium: nec ob tyrannidem, regnum: aut denique inſidias, pupillaris ſubſtitutio. *§. 2. Inſt. de Pupill. ſubſtit. Petr. Gregor. Tholoſ. in Syntagm. iur. lib. 24. cap. 23. num. 7.*

Denique ſæpèfati DD. conſulentes ad extremum ſic arguunt. *In quæſtionibus, quæ conſcientiam iudicis tangunt, tenetur iudex plus deferre ſententiæ Doctorum Catholicorum, quàm non Catholicorum; Si eæ inter ſe diſſentiant, ibi enim præſumitur veritas, vbi docet magiſter veritatis, & eſt veritatis ſchola, ſed in quæſtione de probatione per ſtigmata, Doctores Catholici; & quidem inquiſitores & Iudices contrà Magos reijciunt hanc probationem, vt patet ex Binsfeldio, Del-Rio & alijs: Alij verò non Catholici, vt Bodinus & Danæus, qui non fue-*

*runt inquiſitores & iudices contrà Magos eam admittunt, quibus tamen etiam ex non Catholicis alij contradicunt. vt Godelman & alij. Ergò, &c.*

Reſpondetur Maiorem propoſitionem quidem concedendo, Minorem autem per expreſſum negando: Siquidem, vti ſuperius *Sect. 8.* comprobatum eſt hanc doctrinam de ſtigmatibus vtpote fidei Catholicæ non repugnantem, præter plurimos non Catholicos, tradunt quoque inquiſitores & Doctores Catholici non pauci, vtpote *Nicol. Remigius, Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ Conſiliarius & cognitor pubiicus, R. P. Cornelius à Lapide, Petrus Gregorius Tholoſanus, in Academia Cadurcenſi, Tnoloſana & Pontimuſſ..na ſucceſsiuè Profeſſor & Decanus, Petrus de Lancre Conſiliarius Regius in Parlamento Bituricenſi, & inquiſitor, Florimundus Ræmundus ibidemq; Regis Gallierum Conſiliarius, Heari: us à Monte acuto, R. P. F. Sebaſtianus Michaelis,* Sententia Auenionenſis, &c. Quibus adde nouiſsimè *R. P. Paulum Layman. Societatis Ieſu Theologum & Iuris Canonici Doctorem*, qui in proceſſu iuridico contra ſagas. *pag. 55. ex Remigio* ait, hiſce verbis Germanicis, Jeweilen pflegt er/ſcilicet, der leidige Sathan / jhnen ſolche ſachen in die Haut gleichfalß zum gewiſſen Zeichen dieſer Kunſt einzuheilen/ von ſolcher Vnholden ſchreibt *Nicolaus Remigius lib. 1. Dæmonolat. cap. 5.* Alß Iſabella Pardæa, ſo Anno 1588. in Lothringen iſt verbrandt worden / dem Ambtman das Zeichen/ ſo jhr der böſe Geiſt eingetruckt / gezeigt hat / gedacht er / er wolte einmahl verſuchen/ ob es doch war ſey/ welches viel ſagen vnnd glauben / daß etliche Zauberer vnempfindtlich vor den böſen Geiſteren gemacht werden/ befilcht derhalben / man ſolle in dieſer Frawen mahlzeichen / eine ſteck nadel gantz tieff eintrucken/ welchs alß in gegenwarth zimblich vieler Leuth geſchehen/ iſt doch kein Blut herauß gefloſſen / vnnd die Vnholde hat das wenigſte Zeichen eines ſchmertzens von jhr nicht gegeben noch mercken laſſen/ ꝛc.

Eadem etiã innuit *Ioannes Fill. ſacus Theologus Pariſienſis in diſſertatione, ſua de Idol-latria Magica,* qui in §. 7 *fol. 61. pag. mihi 2.* Sic ait. Omitto peculiare genus iſtud hominum planè ſacerrimorum, qui pactis & tabulis nefandis, nec non obſignatoribus ex orco petitis, ſeſe cum Dæmonibus ſuccubis vel incubis conuenas exhibent. Scio à multis propudioſam iſtam venerem irrideri, audiant ſaltem *Bedam* virum veneratione & fide dignum. *Is in cap. 8. Luc. lib. 3. Comment.* ità de hac re ſcribit, poſtquam diſſeruit nonnullos à Dæmone poſſideri, qui vel incubi vel ſuccubi vicem ſubeat, & in exorciſmis Dæmonem cogi, vt ediſſerat modos eierandi, quibus amoris ſui fœdus, inter ſe, ſeu vir, ſeu fœmina, cum Dæmone ſuccubo vel incubo pepigeꝛit. *Quæ,* inquit Beda, *mendacio ſimilima res, ſed adeò vera & plurimorum eſt atteſtatione notiſsima.* Hactenus. *Filleſacus* Fateor D. Binsfeldio *in 14. indic. pag. mihi 722* Non videri tale ſignum magnifaciendum eſſe, ideò: Facilè enim ſi quis quærat huiuſmodi ſigna, finget



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aut putabit eſſe, quod non eſt. Quod enim Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt, præſumendum. 2. *quæſt.* 5. *cap. conſuluiſti.* Imò ſi Dæmon cognoſceret ſuos ex tali ſigno cognoſci, non imprimeret: ſicut etiam *Bodin.* exempla refert, in quibus poſtera die, poſt deprehenſionem ſigni, fuit nota deleta, ſimiliter admodum ſuperſtitioſum eſt, quod prædicto affine eſt, quod quidam in fronte ex eradicatione chriſmatis ſagas cognoſcere volunt. Hactenus *Binsfeld.* Quem ſequitur. *Martin. Del-Rio lib. 4. Diſquiſit. Magic. ſect. 4. n. 28.* his verbis. Quidam ſagas volunt dignoſcere ex eradicatione chrimatis in fronte, alij in ſtigmate impreſſo, ſed vtrumque meritò improbat *Binsfeld. indic.* 14. nam quoad eradicationem illam, ridiculum hoc eſt, chriſma enim nihil viſibile, vel ſenſibile relinquit in vertice vncti, quoad ſtigma non omnibus illud inurit, ſed ijs tantũ quibus diffidit eos conſtantes fore, vti iã alij obſeruarunt, præcipuis non inurit: aliquando etiam delet, cum capti ſunt, & quando non delet, id relinquit, vt hanc ſuperſtitionem iudicum foueat, & ſic nonnunquam innocentes plectantur, nec enim facilè verũ ſignum dignoſcas à macula, vel næuo, vel clauo, vel impetigine naturali, tum quia non eadem eſt forma ſigni, aliquando eſt ſimile leporis veſtigio, aliquando bufonis pedi, aliquando araneæ vel catello, vel gliri, tum quia non idem locus, in virorum enim corpore ſæpè viſitur ſub palpebus, ſub labijs, ſub axillis, in humeris, in ſede imâ, fæminis etiam in mammis, vel muliebribus locis, tum etiam, quia non omnium ſtigma eſt inſenſibile, vt docet experientia. Et ſi aduertant ſe pungi, fingere dolorem poſſent, etiam quem non ſentiant. Quamobrem *Michael. Pneumalog. ſchol.* 5. Monet iudices cum acu vel pugiunculo iubent ſtigma pungi, id tàm caute fieri debere, vt ſtriges non aduertant, ſolere enim illas cum aduertère fingere, ſe vehementer hac ſtimulatione cruciari. Plerumque etiam alijs ex cauſis ſunt cicatricoſæ, quia ſic in ſuos non rarò Dæmon ſæuit, vt os totum lacerum ac dilaniatum relinquat, & perpetua inhæreant veſtigia, vt de Roſâ Gerardinâ teſtatur *Remigius cap.* 13. Quanquam ex his ipſis cicatricibus aliud rurſus, ſed incertum naſcitur indicium. *Hactenus Del-Rio.* Qui quamuis ad deſtruendum hoc ſcelus veneficij tàm multa, tamque accurate ſcripſerit, vt iuxtà elogium *Anton. Fabr. in Cod. de Malefic. & Mathem. tit.* 12. *Defin. 2. in fin.* ex omnibus, & qui omnium inſtar eſſe poſſit, vnus hic ſit Ictus & Theologus Clariſſimus, qui Diſquiſitionum magicarum libris omnia, quæ ad hunc tractatum pertinent, adeò diligenter proſecutus eſt, & accommodate ad præcepta fidei, vſumque forenſem, vt neque copioſius, neque ornatius, neq; eruditius quicquam ſcribi potuerit, dignum plane opus tanto viro,

nec minus pietatis, quam eruditionis fama conſpicuo, inter tot tantoſque Societatis Ieſu Patres, quibus nihil ætas noſtra tulit, feretque aut eruditius, aut religioſius, nihil denique toti Chriſtianæ Reipublicæ in tanta ſeculi infelicitate vtilius. Verum (niſi plurimum, fallor), prædicti Doctores Theologi, nō de ſtigmatum materia in vniuerſum, ſed de opinata reali Chriſmatis ſacri eradicatione, aut quatenus illa in corporibus incarceratorum apparentia vel non apparentia vel ad innocentiam vel culpam arguendam ſufficere, & ſic in ſpeciem vulgaris purgationis incidere cenſebantur, ſenſerunt, hæc enim nec noſtra, nec aliorum quoque Doctorum inquiſitorumque opinio eſt, vt ſuperius ab initio huius Sectionis demonſtratum: ſin ſecus de tota ſtigmatum materia ſenſerunt, eadem ſcripſerunt, cum per experientiam iudicio nondum eſſent confirmato: Et ſimilia quoque alijs præſtantibus artificibus accidere ſolet, maximè cum omne artificium per experientiam incrementum recipiat. *l. 65. §. 3. ff. de legat. 3.* Ego autem pro ſpeciali eorundem refutatione Lectorem beneuolum ad *Section.* 9. ſuperius remitto, & hoc addo, quod in iure communiter ſolet, Probationes omnes iudicibus eſſe arbitrarias, ac quidem ſic, vt ille motum animi ſui, pro temporum, facti ac perſonarum circumſtantijs, variè poſſit informare. Nam cum probatoria cauſæ quatenus facti ſunt, ad certas iuris regulas conſtringi non poſſint, ità vt quicquid in ea reſtatuendum ſit, id iudicis, vt viri boni committatur arbitrio & diſcretioni. *l. 3. §. eiuſdem ff. de teſtib.* Sanè quidem (vt probè *Ariſtoteles & Plato de LL.* docuerunt) licet pauciſſima iudicis poteſtati & arbitrio ſint tribuenda, quoniam qui legem imperare iubet, is Deum & legem imperare iubet: qui verò hominem beluam adiungit, cum vtriuſque cupiditas, & ira Magiſtratus optimos alioquin peruertat: Lex autem ſit mēs affectu & appetentia carens. Tamen cum natura nouas quotidiè deproperet edere formas, ac rerum in iudicijs obuenientium inuſitatas ſæpè ſpecies. *l. 3. §. . 8. C. de vet. iur. enucl.* rectè factum eſſe, ijdem in Philoſophia Principes Magiſtri cenſuerunt, dum prudenti iudicis examini, & diſcretioni multa commiſerunt & concrediderunt, ij, qui legum condendarum fuerunt artifices, vnde iudicem, hoc eſt, virum bonum, ſanctum, caſtum, pium, integrum, honeſtique cultorem ac ſacerdotem, legis auxilium & ſupplementum, multi ex ICtis vocitarunt. *arg. l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig. l. vir bonus. ff. ſol. matr.* Nam iudicio iudicis, cuncta, vel nihil horum committere, ſed magna paruaque omnia lege determinare impoſſibile eſſe ijſdem placuit. *Menoch. de arbitr. iud. Thom. Gramm. deciſ. 34. n. 45.* Vnde dixit *Iaſon. ex Bald. in l. iudices. C. de iudic.* Iudicantes duos debere habere ſales: vnum ſcientiæ, ne ſint inſipidi: alterum conſcientiæ, ne ſint Diabolici. Et tantum de hiſce argumentis.

Obij-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Obijciunt alij, fortaſſe hæ maculæ, quæ putantur ſtigmata, veniunt à Melancholia? Reſponde *ex Thom. Eraſt. de Lamijs. pag. mihi. 524.* Non ſolum anus, aut imprudentes fœminæ his malis irretiuntur, ſed iuuenculæ quoque & integra ætate plurimæ, adeoque viri hac peſte inficiuntur. Et vt non nego inſipientes & fatuas eſſe, quæ ſe à Dæmone mendaciorum patre dementari patiuntur, ita audacter affirmo, plerumque callidiores (ſed petulantiores libidine, ira, inuidia odioque tabeſcentes, ac pietatem contemnentes) ab ipſo tentari & expugnari. Melancholicas vero non eſſe eas, id demonſtrat, quod in omnibus alijs ſapiunt, quod peccare ſe & malè agere norũt (& ob id ſummo ſtudio nequitiam ſuam occultant) quod ſimilia omnes ferè ſcelera patrant, ſimilibuſque modis & artibus in perficiendo vtuntur: quod denique alios eadem docent, ac varias artes ad perſuadendũ adhibent, hactenus *Eraſtus.* Idem latius *p. 600. & ſeqq.* confer ea, quæ habet *Dan. de ſort. c. 2. p. mihi. 216.*

Et hæc ſunt, Lector Beneuole, quæ extrà functionem inquiſitoris in exercitijs Academicis & praxi ciuili, (qua mea quidem ſorte contentus ſum) ſepoſito omni affectu pro veritatis & iuſtitiæ aſſertione horis ſubciſiuis, diuino honori, operum autem Diabolicorum deſtructioni ſudando tumultuariè hortatu & inſtinctu Eccleſiaſticorum iuxtà ac ſecularium, præeminentium virorum, ex cordatorum ſcriptorum lucubratiunculis conquiſiui: Tu ſi fortè in ea incideris, adſta paulisper; & mecum ab vna parte præſumptam in omnibus hominibus innocentiam, & huic contrariam maleuolis propriam credulitatem, & obtrectationis facilitatem parte vna, altera vera, diuinam iuſtitiam, quæ *Exod. 22.* ſcripta extat, *Maleficos non patieris viuere*, colloca, & rationis trutina expende: Non dubito quin fluctuabit animus: Illic audies, conqueri materiam hanc terribilem *l. 2. §. 8. C. vet. iur. enucl.* eſſe, & non de rebus friuolis, ſtillicidio, lana caprina, aut de aſini vmbra; ſed de capite, vita, ſanguine & honore hominis, de quo (vt ait *Iuuen. Satyr. 7.* Nvlla vnqvam cvnctatio longa est) tractare: Hic verò iuſto aliquãdo dolore quoſdam taliter indignari. Siccine Apoſtatæ, Idololatræ, & teterrimi perfugæ innoxij habebuntur? Siccine legibus, qua ſacris, qua profanis damnatæ impuratæ beluæ eundem nobiſcum aëra aſpirabunt? Siccine Sathanas de Deo, ſiccine hominum ſacrilegiſsimi, de eo, qui architectus eſt omnibus, tàm magnificè & ſecure triumphabunt: ſpectat hoc ſol, & ſpectatur. Sanè quis non contremiſcat dũ audierit illud Prophetæ miſsi ad Achab Regem qui Syriæ Regem Benadab hoſtem captum illæſum dimiſerat. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius*: Proinde nec præcipitantiam laudo, nec torporem probo: nec meo labore ab alijs ſtudioſè petita pro Prætorijs edictis tibi vendita,

Sed SS. Sedis Apoſtolicæ, determinationi, & Doctiorum quorumcunque ſaniori iudicio ſubiecta eſſe volo; Optimus & potentiſsimus Dominus, cuius acutus oculus omnia videt, qui ſolus homines ſcrutatur eorumque facta perueſtigat, opera contemplatur & expendit, quique Prophetis & Euangeliſtis ſuis ſcribentibus prodidit, nihil tam arcanum, tectum & occultum eſſe, quod non tandem detegatur, Diaboli fallaciam latentem in apricum producere, eius opera deſtruere, Eccleſiam quoque Catholicam & totum Imperium Romanum contra omnes eius inſidias, defendere, & denique ſontes ab inſontibus propter nominis ſui gloriam & Sathanici regni confuſionem hoc periculoſiſsimo rerum ſtatu diſcernere velit, Amen.

# FINIS.

Collegij Soc. Jesu Paderbornæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poteſtis: ſed faciet cũ tēpta=
tione etiam ꝓuentũ: vt poſſi
tis ſuſtinere Graduale

Domine dñs noſter q̄ʒ ammi
rabile eſt nomen tuum ĩ vniuer=
ſa terra V Quoniam eleuata eſt
magnificētia tua ſuper celos

Alleluia Attendite popule me
us in legem meam S lucam

In illo tēpore: d i d ſ parabo
lam hanc Homo quidã erat
diues: qui habebat villicum

Tu vero quātu debes: 
ait Cētũ choros tritici Ai
Accipe literas tuas: ⁊ ſc
octogita Et laudauit dñs
licum iniquitatis q̄a pru
ter feciſſet: quia filij hu
ſeculi prudentiores filiis
cis ĩ generatõe ſua ſũt Et
dico vobis Facite vobi
micos de mammona iniq
tatis: vt cum defeceritis r
piãt vos: ĩ eterna tabnac

Th
4733